















coll. complet

200





OPVSCVLVM PHYSIOLOGVM ET MEDICUM,

Librisque tribus distinctum;

Tractans accuratè

Primò corporis humani temperamenta, deinde compendiosè sex res non-naturales, Medicis ita dictas.

Cui

Ob materiæ cognationem accessit appendicis loco Tractatiuncula de literatorum tuenda & restituenda valetudine.

Authore

BALTHASARE FABRICIO, *Philosophiæ ac Medicinæ Doctore.*

Eme, lege, non pœnitebit.



AMSTELODAMI,

Typis Pauli Arnoldi F. à Ravesteyn.

cIↃ. IↃC. XXIX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Amplißimis, splendore generis clarißimis autoritate, virtute eruditione & prudentia splendidißimis

D. D. PRAETORI

CONSULIBUS, SCABINIS,

totique Senatui Amsteldamensium Reipublicæ Mœcenatibus suis munificentissimis:

NEC NON

Magnificis, Amplissimis, Clarissimis prudentia & multo rerum usu excellentissimis & præstantissimis Viris

D. CONSVLIBVS ET SENATVI

totique inclutæ Reipubl. quæ est Osnabrugæ in Guestphalia bene constituta, conterraneis suis, Musarumque patronis.

UT ET

Spectatißimo ac in Chirurgia & Medicina experientißimo, longeque laudatißimo Viro D.

STEPHANO PIETERSEN

Bossonde, *Dominis & fautoribus suis omni observantiæ cultu perpetuò prosequendis.*



EPISTOLA DEDICATORIA.



Ulchrum eſt, Viri Magnifici, ampliſſimi, prudentiſſimi, conſultiſſimique Viri Domini & & Mecœnates debita obſervantia colendi, literis operam dare, pulchrius in iis proficere, pulcherrimum eas memoriȩ mandatas & longo rerum uſu obſervatas & confirmatas in lucem proferre, ut ita etiam aliorum defectus ſuppleatur. Et næ ullum jam comparatæ doctrinæ ſignum eſt efficacius, quam ut quæ quisque novit, ea commodè aliis declarare poſſe. Verum enim vero nõ modo ad tempus, ſed etiam ad exemplum ſtudiorum hæc utilitas pertinere debet. Quare optimè ab iis poſteritati conſulitur, qui literis mandant, quæ laudabili cura & ſummo ſtudio compararunt: unde ipſi laudem, cæteri fructum ferant ampliſſimum. Vivimus enim homi-

nes, non tantum hac vita & spiritu quan-
tum laude & gloria. Laus amplitudinem
virtutis ostendit, accēditur verò unusquis-
que magna & probata commemoratione
rerum illarum, quas in aliquo inesse summa
cum ejus dignitate ac gloria cognoscit.
Quæ res me cottidiè stimulat, ut labores,
vigilias atq; opera, quorum, penes me me-
diocrem habeo partem ad omnium præser-
tim literatorum utilitatem proferam: tum
quia in his res probatæ inesse conspiciun-
tur tum quia fas æquumque judico, quod
hæreditario quodam jure omnes à me lite-
rarum Studiosi repetere possunt, id ultrò
exponere. Nam eo animo hunc suscepi la-
borem, ut Philomusis quibuscunque usui
esset. Nunc vero, quãdo diis juvantibus in-
dustria mea publicè exponitur, ut res opti-
mè cedat, elegi vos, viri amplissimi, quorũ
autoritati ac fidei totum hoc negotiũ com-
mittatur. Animo iccirco æquo ac lubenti
opusculum hoc Physiologum & Medicum
tanquam legatum quoddam amoris & ob-
servantiæ τεκμήριον, lectu & observatu di-
gnum & in pauca cõtractum, dum id (quod
brevi, spero fiet) amplificem, in eo vos ob-
lectate ingenuè, & me meosque omni fa-
vore

vore & amore continuata serie amiciter & cordicitus complecti pergite. Habetis brevem delineationem temperamentorũ corporis humani, ac compendiosam Tractationem sex rerum non-naturalium, Medicis ita dictarum. Deinde Appendicem de literatorum tuenda & restituenda valetudine. Haud equidem ignoro, quod plures idem, quod ego jamdudum tractarint argumentum; Verum cum plerique nimis sint copiosi, vel id mira novitatis & arrogantiæ cupiditate ducti, tantis involvant difficultatibus, ut se hujus materiæ cultor, non sine magno temporis omnium rerum pretiosissimi dispendio & ingenti laborum mole, vix queat inde extricare: placuit ex multis fermè infinitis optima & probatissima duntaxat colligere, illaque huic nostro opusculo ordine concinno inserere, & refutatis falsis opinionibus verissima paucis ostendere. Plura dicerem, nisi mens mea commoneret satis longam videri præfationem æstimatione opusculi. Quare subsistendum hic esse existimo, propterea præcipuè cum epistolaris quoq; brevitas non ferat ea, quæ cum veritate commemorare liceret. Vobis vestræq; Amplitudini me meaq; studia reve-

renter commendo, vobisque omnem animi mei promptitudinem libentissimè offero. Valete Viri amplissimi, Raptim dabam 5. Aprilis Anni 1629, quem una cum sequentibus aliis plurimis vobis precor & cordicitus opto felicissimum.

A. V. ad aras

BALTHASAR FABRICIUS
Philos. & Medic. Doctor.



Præloquium.

Præloquium.



Egimus penes eruditam illam gentem cui volupe fuit fabularum involucris & velo veritatem adumbrare, Apollinem Patronum esse & Deum novem Musarum, quæ eruditioni præsunt & scientiis: eundem patronum esse Medicinæ, & curam habere egregiæ & integræ sanitatis. Eo figmento nihil aliud significatum est, quam ut sapientiæ & valetudinis cura conjunctim haberetur. Non immeritò itaque sapientia & sanitas sunt duæ filiæ germanæ unius parentis; duæ pupillæ unius tutoris Dei Apollinis, idcirco nec queunt nec debent ab invicem separari. Anima quidem hera est & imperatrix, corpus mancipium & servus: anima potior hominis portio, cui præcipuam suam solicitudinem & curam destinat Philosophus. Nihilominus etiam corporis habenda est ratio, ne animo oneri potius sit & impedimento, quam commodo, ne illi ad altiora enitenti moram injiciat. Recte enim Virgilius: Mentem noxia corpora tardant, Terrenique hebetant sensus, moribundaque membra. Quare profecto insuper necessitas summa exigit, ut corpus legitimam subeat curam & tutelam. Nam veluti aviculæ tricis intricatæ in altum evolare nequeunt:

unt: ſic quoque ut Poëta canit: Corpus onuſtum Heſternis vitiis, animum quoq; prægravat ipſum, Atque affigit humi divinæ particulam auræ. Hæ tricæ, hæc impedimenta quæ obſtrictum & impeditum animum tenent, ut nequeat ad ſummam eruditionis & ſapientiæ arcem pervenire: Hæc inquam, averruncanda ſunt, ut hoſpiti domicilium ſartum & tectum, nullisque obſtaculis ſpurcitieque conſpurcatum præſtemus & offeramus. Nullus pictor tam negligens & ignavus eſt qui non penicillos curet & colat: Nullus faber, qui non amet malleum, ſecurim & incudem optimè conſtitutam. Et ſacerdotes ſapientiæ promicondi rerum divinarum & humanarum, corpus ſuum non curent aut colant quam maximè? Qualiter ſe habuerit corpus & hujus conſtitutio, ita animus affectus eſſe ſolet. Absque corpore enim nihilo magis operatur anima, quam pictor ſine coloribus & penicillo: quam faber absque malleo, ſerra, ſecuri. Si ſecuris acuta, promptè ſecat, ſi corporis bona conſtitutio, & laudabilis incolumitas fuerit, optimè exequetur anima functiones ſuas. Sicuti per vitrum alienis coloribus infectum oculus non videt nativam rerum effigiem, ita nec animus habitans in corpore morbis ac vitiis obnoxio. Non dicam inferiores & ignobiliores operationes leni corpore male affecto,

(nam

(nam quis neſcit, animum nec bene coquere morboſo ventriculo, nec perfectè audire affectis auribus) ſed excellentiſsima hominis operatio, qua ille à brutis differt, an nõ noxam & injuriam ſubire cogitur, quoties corpori aliquid contingit valetudini proſperæ inimicum? Vnde amentes, maniaci, fatui & mente prorſus capti? Vnde melancholia? phrenitis, rerumque omnium oblivio? Non aliunde, quia male habet arx Pallados, quã nos nuncupare aſſolemus cerebrum. Pleraq; enim hujusmodi vitia & errores è capite velut equo Trojano. Sed nos ſuo loco demonſtrabimus prolixius, quod animi mores & dona ſequantur corporis temperamentum & indolem. Id iccirco ſtudete ut ſit mens ſana in corpore ſano. Excitate animos veſtros ad poſſeſsionem tam nobilis ſupellectilis. Haud ignoratis, quanto tempore Minerva minuat nervos, & quam nimis enervet ſuos cultores. Succurrite igitur imbecillitati veſtræ, & tutamini illud nobiliſsimum vitæ condimentum. Sic enim Plutarchus aſſolebat vocitare ſanitatem. Videtis quãta curioſitate & induſtria Citharædi curent digitos, cantores vocem, curſores crura, unusquisque ſuum, quo maximè utitur inſtrumentum, atque ignobilis obſcuri uſus gratia: quanto magis Studioſo & viro literato curanda eſt totius corporis valetudò & integritas,

imprimis capitis, quod eſt inſtrumentum animi, quo ille cunctarum rerum divinarum & humanarum ſcientiam complectitur. Si unumquodque eo impenſius expetendum, quo excellentius, quid quæſo rerum eſt quod jure anteponi poßit ſanitati? Socrates dicere ſolebat: Tria petenda eſſe à Dijs immortalibus, Formam, ſanitatem & Divitias. Plinius hoc votum repetens primo loco poſuit ſanitatem. Optimùm eſt, inquit (1.) bene valere (2) Formoſum eſſe (3) Divitias poßidere, nulla fraude & dolo quæſitas. Sed vino vendibili non eſt opus hedera, id duntaxat iccirco addo & aſſero: Quicunque iter illud difficile ingredi diſcupit, quod ducit ad culmen Parnaßi & Muſarum habitaculum, eum ſumma ope niti decet, ut valeat & valetudinem ſumma cum induſtria & curioſitate curet.



LIBER

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Methodo hujus operis.



Emorabile eſt illud, quod apud Ciceronem extat 2. de Officiis: Valetudo conſtat notitia ſui corporis & obſervatione illarum rerum, quæ prodeſſe vel obeſſe queunt. Hic exprimitur præciſè tota ratio conſervandæ, vel ut Cicero ait, ſuſtentandæ ſuæ valetudinis. Nimirum quod illa conſiſtat primò in notitia ſui corporis, deinde in obſervatione illarum rerum, quæ vel prodeſſe vel obeſſe queunt. Hoc ipſum eloquentiæ antiſtitis Ciceronis conſilium prudens & diſcretum petitum eſt ex intimo ſinu naturæ. Iccirco hujus noſtri laboris, tria conſtituimus corpora, quorum erit primum de corporis humani temperamentis. Secundum de ſex rebus non naturalibus, quæ ſi dextrè adhibeantur valetudinem ſartam & tectam tueri, ſin ſiniſtrè, integritatem corrumpere queunt. Tertium eſt appendicula ex foro medico citata, de corroborandis partibus, quibus plerunque literarum Studioſi affliguntur & corripiuntur miſerè. Principio, qui laudabili valetudinis integritate fruniſci diſcupit, eum ante omnia haud

ignorare decet, Quid sit Sanitas & in quibus consistat. Ignoti enim nulla est Cupido. Et Seneca asserit: Scire oportet, qui sagittam mittere vult. Hanc itaque ob caussam sanitatis essentia exactissimè nobis est investiganda, quã si noris, haud difficile etiam intelliges, quibus rebus ea opus habeat ad sui conservationẽ, quę item cum illa pugnent. Finis totius nostri operis est sanitas. Finis verò omnino in disciplina venit cognoscendus. Ignorato enim fine, ignorantur instrumenta mediaque, quę ducunt ad finem. Porro sanitas consistit in multis: Temperie, ἰδιοσυνκρασίᾳ, laudabili conformatione ac unione partium, humoribus & spiritibus, pulchritudine, quæ est quasi corollarium & mãtissa recuperatę sanitatis. Hęc est notitia corporis nostri. Dehinc illa, quæ valetudinem præsentem vel conservãt vel labefactare queunt, Medici complectuntur sub nomine rerum non-naturalium, suntque aer, cibus, potus, somnus, vigilia, motus & quies, excreta & retenta, ac perturbationes, de quibus omnibus accuratè & affabrè quoque pertractabimus, quia hæc sunt instrumenta, hæ sunt ansæ, quibus apprehendimus optabilem incolumitatem. Quæ postremo loco recensebimus, illa profitemur commodato, & desumpra & petita esse è foro medico. Ad Medicum enim attinet, curam gerere sanitatis amissæ, & si quid vitii illa contraxerit, leniter & bellè resarcire. In hoc igitur postremo membro docebimus, qua ratione robur & integra constitutio essentialiter & acciden-

cidentaliter reddi queat illis debilibus partibus, quæ potissimè exercent usurpantque Musarum Sacerdotes, qualia sunt: Cerebrum, oculi, ventriculus, jecur, lien, cor, ipsaque cutis scabiei & prurigini frequentissimè obnoxia.

CAP. II.

Quid Sanitas sit, quid non sit.

NUnc igitur, quod benè & feliciter nobis eveniat, tempus & manum applicamus operi. Sanitas est ultimus nostri laboris terminus: hęc est, quę in hoc agro nobis seritur & metitur. Hujus natura & indoles non potest satis curiosè à nobis pervestigari. Antequam vero in ipsam ejus essentiam inquiramus, notari velim sanitatis vocabulum esse ex genere Analogorum quorum natura est, ut uni primò & per se conveniant, alii vero etiam attribuantur per similitudinem; Sanitas iccirco primo ac per se convenit animali. Inanimata non fruniscuntur sanitate, nec quispiam dixerit, frigus aquæ esse ejusdem sanitatis. Secundo relatione & respectu facto ad corpus animalis, sanitas illis attribuitur, quæ sanitatem in animali efficere valent, dicunturque salubria seu sana effectivè. Hoc sensu de victu salubri extant Medicorum libri. Et vulgariter dici assolet, vinũ sanum seu salubre, cibus sanus, *Ein gesunder trunck, ein gesundt essen*, scilicet

cet quia ſanitatem conſervant & ſtabiliorem fa-ctitant. Tertio ſolet quoque inprimis à Medicis ſanitas aſſcribi rebus illis, quæ eandem præſentē indicant; ita urina ſana, pulſus ſanus dici conſuevrunt, nimirū quia urina & pulſus veluti ſigna demonſtrant ſanitatem adhuc in corpore ſartam tectamq; vigere. Poſtremò καταχρηστικῶς non tātum ad inanimata transfertur, quemadmodum Chimici Mineralia dicunt habere certas prædeſtinationes morborum & ſanitatis, verum etiam ad animum & mentem ipſam. Plautus in Menęchmis act. 2. ſc. 2. Melius eſt ſanam mentem ſumere. Cicero 2. de Divinatione, DEOS eſſe ſanę mentis exiſtimem. Hinc inſania & inſanitas eidem Cic. idem ſunt quod demētia. Porro quàm evidens eſt, ſanitatem dare, tam difficile eſt ſcire, quidnā revera ſanitas ſit. Galenus & filii Medicorum hoc ponunt commune principium ab omnibus conceſſum, tum homines ſanos eſſe, cū inculpatè & absq; noxa actiones obeunt à natura deſtinatas; tum ægrotare, cum actionibus nequeunt perfungi. Illud igitur, quod actiones factitat laudabiles & inculpatas, illud inquam eſt ſanitas. Non dico actiones ſimpliciter à ſanitate dependere, ſed actiones bonas, vel ut rectius dicam bonitatem & integritatē actionum. Anima eſt cauſa efficiens, & principium, princeps operationum abſolutè & ſimpliciter cōſideratarum pars. At ſanitas eſt cauſſa, quod eædem actiones laudabiles ſint, veluti morbus cauſa eſt, quod ſint læſæ. Jam quæritur, quidnam illud ſit, quod nos

conſtituimus cauſam bonarum actionum, vocamusque ſanitatem? Video eſſe inter recentiores (Keckermãnum intelligo in Syſtemate phyſico) qui negant ſanitatem eſſe ſubſtantiam aut accidens: Sed eſſe potius modum & gradum Entis quam Ens. Ex Metaphyſicis notum eſt, præter ſubſtantiam & accidẽs ſeu præter Ens eſſe nonnulla, quæ non quidem planè ſunt fictitia, neque tamen Entia, cujuſmodi ſunt inhærẽtia Accidentis in ſubjecto, unio materiæ, formæ, eſſẽtiæ &c. Nemo dixerit inhærẽtiam eſſe ſubſtantiam: Sed nec accidens eſt, quia omne accidẽs inhæret. Inhærentia vero non poſſunt inhærere. Ex hoc numero ajunt illi eſſe ſanitatem, quanquam id rationibus demonſtrant nullis. Sed non videntur boni illi viri intelligere naturam & genium modorum ſeu graduum Entis. Omnis enim modus, quia nec eſt ſubſtantia, nec eſt accidens, excluditur ex ſerie prædicamentorum, nullus quoque modus eſt cauſa effectus realis. Nam ſanitas collocatur directò in prædicamẽtis, quod ſit cauſſa actionum bonarũ & integrarum. Sanitas itaque non eſt modus Entis. Deinde nullus modus explet actum intelligẽdi, ſeu intelligi poteſt absq; re, cujus eſt modus. Intellige enim inhærentiam accidentis in ſubjecto abſque accidente, abſq; ſubjecto, unionem materiæ & formæ, absque materia & forma. At ſanitas perfectiſſimè intelligi poteſt absque ſubjecto, cui inhæret, non minus quam albedo absque pariete. Galenus definit morbum, quod ſanitati ſit contrarius,

(contrariorum verò eadem est ratio)ne quidem ullam fecit subjecti aut corporis mentionē. Sanitas itaque re vera est Ens, non tantùm modus. E recentioribus Doctores pleriq; non tam importuni sunt, ut excludant sanitatem è serie Categoriarum. Ajunt enim esse potentiam naturalem ex secunda qualitatis specie. Nonnullis quidem quod sciam, rationibus probabilem reddunt hanc suam assertionem: forte quia ipsi subolfecerunt non esse illam adeo similem veritati: nam omnis potentia destinatur actioni simpliciter & absolutè considerata. At sanitas non est caussa actionis simpliciter, sed duntaxat actionis bonæ. Sanitas igitur non est potentia naturalis. Alia est actio simpliciter, alia est actio bona vel mala. Actio simpliciter est à potentia naturali. Actio bona est à sanitate, velut actio mala à morbo. Differt igitur sanitas à potentia naturali. Qui profitentur sanitatem esse ex genere Relatorum, illi in scenam producunt Galeni testimonia vocantis sanitatem proportionem, συμμετρίαν, æqualitatem, quæ omnia sunt Relata ad aliud. Testimonium quoque Aristot. qui in numero Relatorum posuit ac recensuit sanitatem, id confirmat. Nos vero existimamus sanitatem quidem referri posse ad seriem Relatorum: attamen essentiam illius absolutam esse, & revera ex alio genere, quam Relatorum. Notum est unam eandemque rem diverso conceptu & considerandi ratione reduci posse ad categorias diversas. Socrates ad hoc ait ut pater habet respe-

respectum ad filium, ita sanitas respectũ ad morbum. Et hoc sensu excusamus & interpretamur Galenum & Aristotelem. At vero sanitas ut corpori inhęret, id disponit aptumque reddit ad inculpatas & integras actiones, ita certè absolutũ quid est & non Relatum, non minus quam omnis alius habitus. Verum & nativum genus sanitatis est habitus seu dispositio, quod ita probamus. Omnis qualitas dispọnẽs, & habile reddens subjectum ad operandum bene vel male, ea est dispositio vel habitus. Sic enim cujusque dispositionis habitus in natura est ut aptum reddat possessorem non ad actionem simpliciter perferendam, sed ad actionem bonam vel malam Natura enim caussa est actionum, at habitus causa actionum talium. Iam sanitas ita disponit corpus animalis habileque illud reddit, ut possit bene vel salubriter operari: ex adversim morbus ad actionum læsionem corpus promovet. Sanitas igitur est dipositio. Videor audire qui nobis opponunt & ex natura dispositionis & habitus, argumentantur hunc in modum; omnis dispositio facile à subjecto removetur. At datur quædã sanitas quæ tam altas agit radices ut difficillime tollatur & prosternatur ab hoste morbo. Hæc igitur nõ est dispositio. Cõtra datur sanitas debilis admodũ, & quę primo insultu labefactari potest, adeoq; facile ab animali removetur. Hæc non est habitus, quia omnis habitus ægrè & difficulter tollitur. Vlterius: omnis dispositio in subjectum introducitur paucis actionibus velut habitus,

bitus. Jam quędam ſanitatis ſpecies non paucis, verum operoſa actionū crebritate & longo medicamentorum uſu ſubjecto conciliatur. Hæc igitur nō eſt diſpoſitio. Alia vero vel primo medici conatu revertitur ante ſublata. Hæc igitur non eſt habitus. Hic ſciatis velim, nos vocabulo diſpoſitionis uti in generali illa ſignificatione, in quæ ponitur ab Ariſtotele de Qualitate: Ibi invenies diſpoſitionem interdum latè ſumi, interdum ſtrictè. Latè ſumta complectitur ſub ſe habitum & diſpoſitionem ſtrictè dictam. Strictè accepta contra diſtinguitur ab habitu, & una hic habitus, ut dictum, ſub diſpoſitione generaliter ſumta continetur. Jam igitur ſanitatis velut & morbi genus nativum eſt diſpoſitio univerſaliter ſumta, quæ quia vel paucis acquiritur actionibus, ſicque eſt diſpoſitio ſtrictè dicta, vel multis, & eſt habitus. Hinc perſpicitur ſanitatem dici poſſe vel diſpoſitionem ſtrictè dictam vel habitum. Et hinc eluceſcit quid debeat reſponderi ad duo propoſita argumenta, ſcilicet omnē ſanitatem eſſe diſpoſitionem ſtrictè dictam, aliquam eſſe habitum. De genere ſanitatis ita conſtat. Supereſt differentia, quæ generi adjuncta largitur plenam ſanitatis Definitionem. Differentia petenda eſt ab actionibus, in quibus conſiſtit perfectio & forma quaſi ſanitatis: non quidem ab actionibus ſimpliciter (nam harum cauſa eſt anima) ſed ab actionibus perfectis & integris, cujus integritatis cauſa ſanitas eſt. Eſto igitur talis ſanitatis definitio: Sanitas eſt diſpo-

ſitio animalis ſine qua proficiſcuntur actiones primo & per ſe integrę & naturę convenientes, quemadmodum ex adverſo morbus eſt diſpoſitio animalis actionum læſionem cauſans primò. Omitto hic vocabula ſecundum naturam, quemadmodum in definitione morbi pręter naturam: ſiquidem quicquid actionum integritatem promovet, illud eſt ſecundum naturam: quicquid actiones lædit, illud eſt præter naturam. Supervacuum igitur eſt addere voces ſecundum naturam & præter naturam, quippe absque ſuſpicione ταυτολογίαι in definitione poni non poſſunt, quandoquidem omnem definitionem decet eſſe nativam & pleniſſimam, absque ſuperflua verborum aut rerum abundantia. Chimici & Hermetici aliquando aliter & ſecius cenſent de ſanitate. Hi corpus animalis & cęteras mundi res coaluiſſe exiſtimant ê tribus primis principiis, ſale, ſulphure & Mercurio: iccirco docent ſanitatem nihil eſſe aliud, quam convenientem horum compoſitionem. Quamdiu ſal, ſulphur, Mercurius, amica confœderatione vel ſocietate inter ſe ſociantur & contemperata manent, tamdiu animal vivere ſanum, ægrotare vero quam primum rupto fœdere diſjungantur, & amittant familiarem hanc ſocietatem. Per ſalem (ut obiter hoc dicam) non intelligunt ſal noſtrum quo in cibis utimur, ſed ſubſtantiam ſolidam, duram, terreſtrem quamlibet. Per ſulphur non uſuale noſtrum ſulphur, quo etiam in culinis utimur ad excitandam flammam, ſed rem pinguem, aleo-
ſam

ſam combuſtibilem. Per Mercurium non argentum illud vivens currensque, ſed liquorem aqueum, vel & ſpiritum tenuem & aereum.

CAP. III.

De Sanitate & Gradibus Sanitatis.

Controverſum eſt penes viros Philoſophos, ecquid ne ſanitas ſpecies ſit infima, an verò naturam obtineat genericam, & ſub ſe complectatur ſpecies alias. Diſputent authores illi quãtum volent, rationes ſanè afferunt quæ non magni ſunt momenti, volitantque ludibria ventis: noſtra fert opinio, ſanitatem genus eſſe, cujus duæ ſunt ſummæ & præcipuę ſpecies, Sanitas ſimilaris & ſanitas diſſimilaris. Sanitas iterũ genus eſt continens ſub ſe temperiem & ἰδιοσυγκρασίαν: ſic quoq; ſanitati diſſimilari ſubeſt una ſpecies, quam non licet mihi uno verbulo exprimere: Diſpoſitio ſc: apta ſitui, conformationi numeri unitatis in parte æquali; ne ingratus nobis hoc credat aliquis illud aſſeverantibus, addimus quoque rationes: quicquid non prædicatur proximè & immediatè de individuis, illud non eſt ſpecies, ſed maximè eſt genus. At ſanitas nõ prędicatur proximè & immediatè de individuis. Aliud enim eſt ſanitas, aliud temperies, aliud hæc temperies. Temperies abſolutè conſiderata non eſt individuum, ſed ſpecies. (hæc temperies Socratis eſt individuum) At ſanitas prædicatur

catur de temperie absolutè considerata. Sanitas igitur non est species infima, sed genus. Cæterum species hasce, ut temperiem, ἰδιοσυνκρασίαν & reliquas mox explicabimus, quam primum præmissa fuerint nonnulla de latitudine & gradibus sanitatis. Non omnes homines æquè sani sunt, nec omnium eadem est temperies, eadem ἰδιοσυνκρασία, eadem conformatio. Hic ita temperatus est, hic aliter, quamquam uterque sanus. Sanitas igitur quæ medium est morborum utrimque reductum, velut juxta Poëtam: *Virtus est medium vitiorum utrimque reductum.* Sanitas (inquam) aut hoc ipsum mediũ dupliciter considerari potest. Primo ut consistit in indivisibili & quasi in puncto. Secundo ut amplitudinem, latitudinem & varios gradus habet, atque ut non nihil recedit ab indivisibili hâc & absolutâ perfectione, quemadmodum justitia vel summa est & exactissima, vel quę nonnihil à summo hoc rigore deflectit, justitia tamen. Sanitas insectilis seu absolutissima consistit in inculpabili & perfectissima integritate omnium actionum. Ab hac aliquantulum recedi potest, ita ut maneant actiones quidem integræ & nullam manifestam oblæsionem redolentes, quæ tamen absolutam illam perfectionem non attingant. Quod si totius sanitatis limites & latitudinem egressę fuerint, jam tum non amplius sanæ, sed morbidæ dici solent: quemadmodum judex injustus est, cum Justitiæ cancellos egreditur. Summa illa & perfectissima sanitas à nemine mortalium

possi-

poſſidetur, tamen & a Medicis & à nobis optima ratione conſtituitur quaſi regula quædam Lesbia aut ſtatua Polycreti ad quam explorare & examinare convenit totam ſanitatum ſeriem, quas in animalibus reperimus. Ab ea regula Lesbia alii longius, alii propius abſunt, habentque valetudinem vel meliorem vel deteriorem: illa vero cenſetur omnium optima, quæ quam propinquiſſimè in hanc regulam & perfectionem accedit; neque absq; cauſa factum eſt quod normam hujusmodi modi ſibi præfiniverint Philoſophi, & amplam hanc conſtituerint ſanitatis latitudinem. Enimvero ſi nemo ſanus dicendus eſſet, niſi qui poſſideret perfectiſſimam & abſolutiſſimam ſanitatem, jam nullus eſſet in mundo homo ſanus, imo ne brutum quidem, nemo enim eſt, qui illa donatus ſit: quo pacto, quomodo ſanitas eſſet affectio animalis, deque illo demonſtrari poſſet? qua ratione Medicus ſibi illam poſſet præfixam habere, aut quomodo natura excuſari poſſet, quæ nullum produxerit animal ſanum? Itaque ne homo & animalia cætera perfectè viverent in ἀειπαθείᾳ & cum continuis morbis conflictarētur, conſultum & viſum fuit Medicorum pueris & philoſophis tam latis pomœriis ſanitatem includere, è quibus quam primum receſſum aut exitum eſt, jam ægritudo aut morbus locum habere incipit. Vt breviter & ſuccinctè dicam, animal ſanum eſt, quamdiu actiones absque impedimento exequitur, ægrotum eſt, cum aliqua in illo eſt actionum læſio.

CAP.

CAP. IV.
Quid sit Temperies.

ARistoteles lib. 1. de Anima c. 4. disputavit adversus illos, qui animum crediderunt esse κρᾶσιν seu harmoniam, seu temperiem (nam erant inter priscos, qui sic statuebant) has absurditates, quamquam ad vivum resecaverit Philosophus, Galenus tamen quasi postliminio revocare conatus est, una cum paucis complicibus, quamquam passim hic fateatur, nescire se quid anima sit, tamen eò tandem devenit, ut crederet animam nihil aliud esse quam temperiem, & temperiem esse formam substantialem cujusque partis. Per temperiem os esse os, & nervum esse nervum, per temperiem unam partem essẽtialiter distinguit ab altera.

Cęterum nos edocti melius scimus nullum accidens esse posse formam substantiæ, scimus formis substantialibus nihil esse contrarium, quia formæ hæ sunt substantiæ & substãtiis nihil contrarium, scimus formas substantiales non esse terminatorias, & modo exire è subjecto, modo illud iterum accedere manente tamen eodem individuo, quin porro insuper scimus temperiem esse accidens, temperiei aliquid esse contrarium scilicet intemperiem, temperiem denique interdũ deperdi & recuperari, eodem manẽte singulari corpore, unde nemo est, qui non videat ne-

cessario concludi temperiem non esse formam substantialem. Sunt alii, qui aliquando propius scopum feriunt nimirum, quia temperamentum per mixtionem è qualitatibus primis nascitur: nonnulli existimant temperamentum esse ipsam mixtionem, alii esse ipsas qualitates primas: Reminiscuntur alii esse proportionem per quam miscentur qualitates : alii denique esse novam & quintam qualitatem seu dispositionem genitam per mixtionem ex qualitatibus primis certa proportione concurrentibus. Quæ postrema sententia & nobis arridet, & veritati est admodum conformis. Primo temperies nō est mixtio, quia mutatio & terminus mutationis non sunt idem, temperies est terminus mixtionis, mixtio est via & iter ad temperiem. Secundò nec temperies est una è primis qualitatibus, quia est omnium qualitatum mixtarum & alteratarum concursus, quia etiam quid in una hac qualitate fuerit temperamentum ante mixtionem, dicitur quidem temperamentum, aliud calidum, aliud frigidum, sed tamen aliud est calor, aliud est calidum. Statua ex ære ærea dici potest, non tamen est æs. Aristoteles lib. 7. Metaphys. c. 12. scriptitat syllabam ba, nec esse b, nec a. Jam vero ita se habent qualitates primæ ad temperamentum, velut lit. B & A. ad syllabam Ba. Igitur ut nec ba, nec est b, nec A. Ita etiam temperamentum non est calor nec frigus, aut una cęterarum qualitatum.

Tertiò temperamentum non etiam est aut propor-

proportio aut harmonia aut concentus, quia tota illorum essentia in Relatione consistit, verum omni agendi virtute Relatio caret. At temperies est caussa bonarum actionum, quemadmodum supra docuimus, sanitatem posse poni in numero relatorum secundum dici, essentiam verò illius revera absolutam esse non minus quã virtutis aut temperantiæ. Ad eundem modum temperies quæ est species sanitatis potest aliquo conceptu referri ad relata secundum dici, sed tum essentia ejus absoluta est, certè aliud est temperies, aliud proportio quæ comitatur temperiem. Veluti in cythara aliud sunt fides, aliud soni, aliud proportio sonorũ dupla, tripla, octupla, aliud denique dispositio prognata ex sonis certa proportione concurrentibus: haud aliter aliud sunt Qualitates primæ, aliud proportio harum Qualitatum dupla, tripla, aliud denique temperies quæ gignitur ex Qualitatibus certa proportione mixtis. Est autem temperamentum nova & quinta Qualitas seu dispositio (talem etiam sanitatem esse diximus) genita ex Qualitatibus primis certa analogia per mixtionẽ concurrentibus, quæ dispositio specie differt à Qualitatibus primis, nam aliud est πρῶτον δεκτικὸν subjectum adæquatum Qualitatum primarũ, aliud item temperiei. Calor, frigus, & reliqua primò insunt elementis, temperies primo inest rebus animatis, aut si ita vis mixtis. Hæc quæ sequitur ratio sufficiat ad stabiliendũ nostrum effatum: ut se habet materia elementorum ad materiã mix-

 torum,

torum, itemque ut forma elementorum ad formas mixtorum: Sic qualitates primæ ad temperamentorum; det mihi rationem aliquis diversitatis, certè ut ex materiebus elementorum commixtis nascitur materia carnis ex formis illorum forma cuivis (de anima jam non loquor, sed de forma corporeitatis) nam etiam caro mortui bovis caro bubula est, ita etiam ex qualitatibus primis commixtis nascitur temperies. Jam materia terræ, aquæ & reliquorum elementorum specie differt à materia carnis, quemadmodum & forma carnis specie differt à formis elementorum, necessario igitur temperamentum quoque specie differt à qualitatibus primis. Si quæris quomodo qualitates primæ insint temperamento? Respōdet Fernelius inesse summis & perfectissimis gradibus. Respondet ex adversim Avicenna (si credendum verbis Fernelii) planè destructas & absolutas esse. Neutra sententia cum veritate conspirat, non prima, quia si summis gradibus insunt, cur mihi non liceat vocare mixtum aliquod summè cadidum, aut summè frigidum? Si temperies nascitur è mixtione, profectò non poterunt qualitates manere summæ. Quia omnis mixtio supponit alterationes: omnis alteratio conjuncta est cum actione vel passione, omnis actio enim cum alteratione. Passio conjuncta est cum mutatione. Qualitates igitur cum miscentur, alterantur & mutantur, proinde non manent summę & haut immutatę quales erant ante mixtionem. Quid opus est verbis? Contraria inter se

agunt,

agunt, ergo & frigus agit in calorem & calor in frigus, alterumque ab altero aliquid iterum patitur. Nec altera Avicennæ ſententia vera eſt, quia vel ſenſus ipſe in nobis deprehendit calorem & frigus, humorem & ſiccitatem: & ſi elementa ipſa in nobis ſervantur, quidni ſerventur quoque eorum proprietates? Cæterum ſic argumentamur: Ubi datur actus ſecundus ibi neceſſario adeſt primus, ille enim ſine hoc ne fingi quidem mente poteſt. At in nobis dantur actus ſecundi, ſcilicet operationes primarum qualitatum. Exempli gratia, Calefactio. Ergo non ſunt aboliti, ſed quoniam dantur actus primi. E. G. Calor, noſtra eſt ſententia, temperamentum conſtare è qualitatibus nec planè deſtructis, nec itidem ſummis qualitatibus, ſed per mutuam actionem alteratis, refractis reductiſque ad mediocritatem. Super hac re vide hanc rationem vel argumentum. Quicquid productum eſt per alterationem, id nec planè eſt corruptum, nec planè integrum aut non mutatum. Si enim corruptum eſt, non eſt alteratum, ſiquidem aliud eſt corruptio, aliud alteratio. Et ſi eſt alteratum non eſt integrum. Sed Temperies producta eſt per alterationem. Producta enim eſt per mixtionem, uti mixtio eſt miſcibilium alteratorum unio.

CAP. V.

De temperamentorum differentiis in Genere.

QUemadmodum magnam confecimus latitudinem ſanitatis, ſic quoque temperamenti varias agnoſcimus differentias: una eſt ſanitas omnium perfectiſſima, una quoq; eſt temperies omnibus abſoluta numeris, in qua qualitatum omnium ſumma æqualitas & mediocritas, ita, ut nulla ſuperet alteram. Ab hac exquiſita perfectione recedunt alia temperamenta, & vel calorem vel frigus vel aliam qualitatem habent ſuperantem. Non omnes mortales eadem lege temperati ſunt; puer calidus, ſenex frigidus: alia quoque viri, alia fœminæ eſt temperies, alia leonis, alia vituli temperies, tamen quamdiu actiones adhuc illęſę & integræ eduntur, tota temperamentorum latitudo conſiſtit inter actionum integritatem: quicunque etiam qualitatum exceſſus vel concurſus ſimul ac actiones læduntur jam non amplius temperies eſt ſed diſtemperies. Tota hæc temperamentorum latitudo cõjuncta cum actionum integritate medicis dicitur temperies ad juſtitiam. Quemadmodum prior illa dicitur temperies ad pondus, quod æquali pondere & menſura concurrant cũ qualitatibus primis, veluti juſtitia eſt neminem lædere, ſuum cuique tribuere, ita temperies ad juſtitiam non lædit ſed promovet actiones, tri-

buitque & largitur unicuique rei illam integritatem, ut poſſit ſuis muneribus concreditis fideliter & legitimè intereſſe, nam & ſerpens aliquando eſt temperamenti frigidiſſimi, & Leo calidiſſimi, dicunturque temperata ad juſtitiam, ſi ſuas actiones cum decente agilitate & dexteritate obeant. In univerſum autem novem temperamentorum genera conſideranda veniunt, unum ęquale, quatuor ſimplicia, & totidem compoſita. Compoſita aliis quoque dicuntur nominibus: bilioſum ſeu cholericum, ſanguineum, pituitoſum ſeu phlegmaticum & Melancholicum. Bilioſum, eſſe calidum & ſiccũ, ut bilis ipſa reſpondet igni & æſtati. Sanguineum, eſſe calidum & humidum, reſpondens aëri & veri. Phlegmaticum frigidum & humidum, reſpondens aquæ & hyemi. Melancholicum frigidum & ſiccum terræ & autumno. Quæritur jam, quibus ſignis & indiciis unaquæque temperies diſcerni & agnoſci queat, id enim omninò neceſſarium eſt, cum incognito temperamento nunquam conſervari queat perfectè ſanitas. Medici noſtri, ſolum tactum (non tamen excluſa ratione ſeu mente) conſtituunt κριτήριον ſeu indicem omnium temperamentorum: quò ipſo ſuam imperfectionem demonſtrant & ruditatem produnt, nam quis illorum eſt, qui ſolius tactus judicium ſecutus de temperamento hominis judicare aſſolet, tactus non percipit, niſi quæ hærent in ſuperficie corporis. Ad intima nunc pertingit nec de corde nec de cerebro judicare habet, imo ne quidem

perfectè judicat de extremo corpore, non id ab aëre aliisque rebus circumſtantibus variè affici, modo calet modo friget. Sic argumentor: Quæ ſunt ſigna intemperiei, eadem erunt ſigna temperiei. Nam contrariorum conſimilis eſt ratio. Atq; intemperies non dignoſcitur ſolo tactu aut ratione, ſed multò pluribus indiciis. Ergo & iiſdem innoteſcit temperies. Cæterum hujusmodi indicia & τεκμήρια à nobis conſtituuntur hæc ſequentia (1) Tactus (2) Actiones corporis (3) Actionum Conſectaria (4) Qualitates ſecundæ. (5) Iuvantia & lædentia (6) Vita ante acta (7) Artificioſa de his omnibus ratiocinatio. Hæc paucis ſunt interpretanda (1) Tactus vocabulum intelligimus non tantum ſolius hominis temperati: quotusquisque enim talis eſt in hominum numero, ſed etiam diſtemperati leviter. Homo temperatus dignoſcit temperiem alterius non quidem poſitivè, ſimile enim non agit in ſimile, ſed privativè, cum deprehenditur abſentia omnis exceſſus qualitatum. Homo diſtemperatus temperiem alterius judicat, dum longa experientia edoctus novit, quantum ipſe recedat à perfecta æqualitate. Sicque ſecum confert temperamentum, quod vel calidum vel frigidum invenit per doctam ſcilicet analogiam. Tactus enim non tantum de calido, frigido, humido, ſicco judicat, ſed etiam de duro & molli, de levi & aſpero, durum & aſperum fermè ſiccum eſt, molle & leve ferè humidum. Puellarũ molliuſcula corpora arguunt temperamentum humidum.

midum. Rusticorum dura & nervosa & aspera constitutio temperamentum siccum. Secundo actiones perfectissimæ nos deducunt in cognitionem temperamenti: temperamentum enim est propter actiones bonas. Actiones in corpore nostro triplices numerantur: naturales quæ pertinent ad nutricatum & generationem: Vitales, quales sunt pulsus cordis & arteriarum, nec non affectus seu pathemata, ut ira, gaudium, tristitia. Animales sunt motus spontanei corporis, itidemque somnus & vigilia, tum omnes sensationes tam externæ quam internæ: Omnes hæ arguunt qualis sit corporis temperies. Ita qui bene concoquit assumpta alimenta, eum judicamus ventriculo calido, frigido vero, qui male & tardè. Sic qui in venerem proclivis est, calidus æstimatur, qui ab ea abhorret & ineptus est ad eam, frigidus. Cui pulsus est vehemens, celer animus ad iram, audaciam, ferociamque promptus est, ejus temperies est calida, qui somno deditus, ignavia, hebetudine mentis, stupiditate laborat, eum judicamus frigidum. Tertiò quæ ab actionibus dependent sunt: Corporis moles & habitus, pulchritudo aut deformitas, pinguedo aut macies, glabrities aut pilorum abundantia, egestiones ut urina & alvi excrementa, etiã hæc de temperamenti indole faciunt certiores. Ita cui *pinguis aqualiculus propenso sesquipede extat*, vel qui corpore est obæso, is frigidus est ac humidus: qui macilentus ac aridus, est temperamento calido & sicco, cui barba spissa duræ-

que in corpore ſetæ, is calidus, qui glaber & quaſi implumis is frigidus. Ita Eunuchi ſunt ſimiles mulieribus. Sic urina ruffa, crocea, arguit calorem, Pallida verò ac turbulenta, frigus.

Quartò, Qualitates ſecũdæ ſunt, color & odor, è quibus itidem dignoſcitur temperies, qui hircum olent (quod plerunq; faciunt ruffi illi & Ænopili) illi peſſimo & inſalubri ſunt temperamẽto; Qui bene olent, illi laudabili quoq; ſunt cõſtitutione. Plutarchus refert Alexandrum Magnũ de corpore ſuo ſparſiſſe odorem fragrantiſſimũ, ut veſtes ipſius muſco aut ambro perlitæ viderentur, quod argumentum fuit perfectiſſimæ temperiei. Nec minus ſigna fallacia ſuppeditat color inveſtiens ſuperficiem corporis : quibus purpura mixta lacteo colori genas pingit, totaq; facies florere videtur, illorum temperies ſanguinea eſt & apprimè temperata. Fuſcus & lividus color Melancholiam arguit. Spiceus & Cyprinus bilem, pallidus pituitam. Qualis enim in corpore humor dominatur, talis in cute color ſpectari aſſolet.

Quintò, Iuvantia & lædentia etiam arguunt indolem temperiei, ut multos videre eſt, qui nulla ratione ferre poſſunt hauſtum frigidum, aut gelidi aëris injurias, Eorum temperamentum gelidum æſtimatur. Calidi a calidis læduntur, humidi ab humidis. Juvantur verò à contrariis modicis. In promtu cauſa eſt, quia temperies frigida mediocritatem excedẽs aucta à frigore fo-

ris

ris adventante longius recedit à mediocritate & ſanitate perfecta. Ideoque non poteſt non lædi. Eadem tẽperies frigida à calore externo accedente quaſi retuſa propius accedit ad mediocritatem. Ideoque quaſi corrigitur, redditurque melior.

Sexto, Vita quoque ante acta nonnullorum ſuppeditat argumentum dignoſcendi temperamentum. Textores, puellæ, netrices quamquam vitam agunt ſedentariam, piſcatores item & homines maritimi, dubium non eſt, quin ſint temperamenti frigidi & humidi, otio enim & quiete magna coacervatur vis pituitæ. Ex adverſim fabri ferrarii, ærarii, cæterique Vulcani pulli, quia igni perpetuo adhærent, calidi & ſicci.

Septimò, accedit docta & artificioſa ratiocinatio, quæ omnia accuratè & ſedulo perpendẽs tandem colligit & infallibiliter concludit, id quod antea erat ignotum & incertum. Nunc porro perluſtranda ſunt indicia cujuſque temperamenti.

CAP. VI.

De ſignis hominis temperati, calidi, frigidi & ſicci.

AD exemplum & regulam ſuperius poſitã in poſterum examinandæ ſunt temperamentorum differentiæ, A medio temperato auſpicabimur

ſpicabimur, quia hoc eſt menſura ſeu regula reliquorum, hæc igitur ſunt argumenta hominem temperatum ſignificantia. Tactu deprehenditur in illius corpore inſignis ἐυκρασία in qua nec frigus abundat, nec ſiccitas, nec cæterarum qualitatum aliqua portio, non ei cornea cutis, nec rubrica nimis aut flaccida: omnes actiones vegetæ & expeditæ, cibi appetitus mediocris & tantus quantus in vētriculo concoqui poteſt, concoctio optima, nec minus bona diſtributio ſanguinis in univerſo corpore, hinc excrementorum parva quantitas, quę & ipſa tempeſtivè & promtè diſponuntur: nec libidinoſus eſt nec hoſtis veneris, ſed temperat pulſus inter tardum & celerem, inter magnum & parvum, inter durum & mollem medius æquabilis ſit, & conſtans ſatisque fortis affectus & παθήματα, nec nimia nec prorſus nulla, medius eſt inter iracundum & ignavum, i. humanus: medius inter præcipitem & tardum i. prudens, medius inter avarū & prodigum, i. liberalis, ut verbo dicam, homo temperatus apprimè novit affectibus frænum indere, actiones animales itidem vegetæ ſunt & robuſtæ, viſio acris, auditio ſubtilis, olfactio prompta, guſtatio facilis, tactio exquiſita. Motus omnium corporis partium promtus & facilis, nec ſomnolentus nec inſomnis, ſomnus illi placidus, & ſicubi antelucano ſomnia ſe menti ingerunt, ſubeſt divinatio rerum futurarum non fallax aut vanum judicium. Internæ animi dotes eximiæ & excellentes, apprehēſio promta, judicium exquiſitum,
memo-

memoria firma ac ſtabilis, ingenium denique ad miraculum magnum. Quæ actiones conſequuntur omnia & optimè ſe habent in homine temperato. Corporis heroica quædam eſt majeſtas omniumque membrorum pulcherrima conformatio, lineamenta omnia ſummè decora, tantaque corporis pulchritudo ut unumquemque in amorem ſuper admirationem trahat, inceſſus decorus non lubricus, nec pinguis nec macilentus, ſed carnoſus & quadratus. Pili nec denſi nimis nec rari, ſed venuſta flavedine mentum & malas inveſtiens. Excrementa nec quantitate nec qualitate mediocritatem excedunt. Qualitas aliquando minor aſſumtis alimentis. Subſtantia urinæ nec usque adeo tenuis eſt ut aqua, nec tam turbulenta ut urina jumentorum, ſed mediocris colore aureo cum ſedimento æquali (& albo.) Quartò, color homini temperato floridus & frigidus quaſi lilia mixta roſis, ſplendor & candor cutis admodum commodabilis, qualis ſolet pingi Dea Cypria cum veſto & venuſto corpore, odor exhalat ſuavis, quemadmodum nuper diximus de Alexandro M. Sexto. Juvãtia & lædentia hic quoque rectè habent, nec læditur nec frigidis nec humidis aut ſiccis, ſed omnia ſi moderata fuerint fert æqualia. Nec abhorret ab ullo cibi aut potus genere quod deſtinatum eſt, ut ab hominibus deſideretur. Ex his omnibus argumentis per doctam ratiocinationem colligimus hominem, in quem illa conveniunt, temperamentum omnibus numeris poſſidere abſolutum.

lutum. Notæ hominis calido temperamẽto prædití hæ ſunt, ubi tamen non præterimus, non eſſe omnes æquè calidos, alios ferventiores aliis pro ratione ætatis, regionum & victus: itaque hominis calidi cutis ſi naturæ ſuæ relinquatur, nec inſigniter affecta ſit ab externis injuriis cutis, in qua manifeſtò deprehenditur à mediocritate recedere ad calorem. Secundo Appetitus ille vegetus, deſiderium bibendi perpetuum, facilis concoctio etiam τῶν δυσπέπτων i. ciborum duriuſculorum, excrementorum paucitas, tum quia circa ingenia & præcordia calor æſtuat inſigniter, & proclivis iſte homo in venerem & profuſus in omnes corporis voluptates. Pulſus ei celer & vehemens, pulſuique reſpondens crebra reſpiratio, audacia, ferocia, iracundia maxima, ut plurimum quoque verſipellis eſt, aſtutus, vafer, ei *triſtia bella* (ut Poëta canit) *iræque inſidiæque & noxia crimina cordi*, ſenſationes omnes promptas habet, & membra corporis admodum agibilia, lingua laxa & fluxa nimiò, vox gravis, non ſubtilis, ob amplitudinem thoracis & aſperæ arteriæ, ſomnus brevis & paucus, vigiliæ plurimæ: ingenium varium & verſatile & longè inconſtantiſſimum, memoria ſatis laudabilis. (3) corporis ſtátura virilis & ſpectata, pinguedo aut adeps paucus, nam non patitur calor naſci pinguetudinem uberiorem, ſed eam paulatim depaſcit. Itaq; hujusmodi corpus eſt nervoſum & robuſtum, pilorum maxima luxuria, qui non ſolum in mento locisque aliis enaſcitur,

ſed

ſed per totam corporis ſuperficiem diſperſi ſunt, pectus ei hirſutum, barba denſiſſima, ipſa quoque brachia hiſpida, Iuvenalis ſic cecinit:

-- -- Hiſpida barba
-- quædam & duræ per brachia ſetæ --
Promittunt atrocem animum --

Neque in exterioribus ſolum pili naſcuntur homini hoc temperamento prædito, ſed in interioribus quoque pili nonnunquam obducti cernuntur, cujus rei exemplũ præbet Ariſtomenes Meſſenius, de quo Pauſanias in Meſaraicis, & Plinius lib. 11. c. 37. memorat, quod ſtratagemate & aſtutia militari ſolus integras cohortes diſſipaverit. Nam cum vir ille per centum Lacedæmonios confeciſſet, ſemel atque iterum ab illis captus & vulneratus in profundiſſimum ſpecum abjectus per anguſtos vulpium & muſtelarum meatus evaſit. Iterum captus & vinctus cuſtodibus vino ſomnoque ſepultis ad ignem advolutus, lora manusque exuſſit, hoſtibusque ad necem datis iterum evaſit. Tertia vice capto Lacedæmonii videndi cauſa pectus diſſecuerunt, inventumque eſt cor illius hirſutum, & pilis undiq; inveſtitum. (4) Color corporis rubicundus eſt, & ſi color paulo vehementior fuerit, fuſcus aut ſubflavus: (5) à frigidarum rerum uſu modico juvatur & bene habet, à calido læditur. (6) Vita ante acta calida quoque (7) Hæc hominem arguunt temperamenti calidi, ſi probam inſtitueris ratiocinationem.

Indi-

Indicia Temperamenti frigidi.

FRigidum temperamentum inter omnes corporis constitutiones pessimum est & remotissimum ab optimo statu, etenim quia in calore fundatur vitæ & valetudinis integritas, hæc vero temperies à calore abit plusculum, facile videre est non esse illam sanitati amicam. Absq; calore nec cibus coquitur, nec incrementa capit anima, nec generatio ullo modo succedit, itaque hinc perspicitur, hasce actiones hominibus illis convenire quibus frigidus obstitit circum præcordia sanguis. Ut paulo ante monitum est, non parem caloris latitudinem inesse omnibus, idem de frigore existimari debet. Homines omnes temperamenti frigidi non æquè frigent. Iccirco quæ sequuntur indicia, accipienda erunt pro varietate frigiditatis superantis (1) tactus horum hominum deprehenditur frigidior quam naturalis temperies requirebat (2) alimenta ingesta tardè & difficulter coquuntur ob caloris defectũ, minus quoque distribuuntur per corporis partes, ut plus appetant quam assumere possit ventriculus, suntque fere gulosi & voraces. Sic enim docet experientia à frigiditate acui appetitum, quemadmodum nos solemus æstivis temporibus per lactucam, Endiviam. Acetosam oleo acetoque confectam appetitum labefactatum revocare. Quod si major sit copia spirituum esurinorum, acidorum, vitriolatorum, ut Chimi-

Chimici loquuntur, tum homini naſcitur fames canina & inſatiabile guttur devorandi, talis homo ſegnis & tardus in venerē, frigidus & maleficiatus, nimirum quia deſtituitur ſucco & ſpiritu & calore genitali. Pulſus ei rarus, debilis, languidus. Animus timidus, ignavus, ad leviſſimum quemvis ſtrepitum expaveſcens, ſenſationes omnes & motiones tardæ, homoque totus ineptus ad quævis opera, lingua ceſpitans, voxque ignava, exilis, fœminea, memoria infida, judicium hebes, mens tarda, ingenium prorſus ſtupidum, corporis moles ſatis grandis & vaſta, venæ exiles, & vix conſpicuæ, thorax anguſtus, abdomen pinguedine obſitum: Naſci enim hæc ſolet adminiculāte frigore, nec calore nimis ſæviente, qui alioquin fortior depaſcitur in materiam adipis, pili rati tardè prorumpentes, non criſpi ſed plani & prolixi, quales ſolent eſſe fœminarū, colore albo vel ſubſpiceo, urina parum tincta, pallida, cruda, turbida. Inſuper ſicuti calor genas & cutim pingit colore roſeo, ſic frigus pallorem inducit: Sæpe etiam fuſceam factitat cutim aut lividam, qualis ſolet eſſe illorum, qui hyberno gelu ultra moram decentem manus & faciem expoſuerunt: deinde a frigidis fere lædi ſolet, a calidis bene habere: præterea vita antegreſſa & victus ratio ad otium & frigida quoque ſe inclinavit hujusmodi conſtitutio, illisque ineſſe conſuevit hominibus, qui vitam agunt deſidem & ſedentariam, mulierculis, piſcatoribus, textoribus, & in primis monachis, Carthuſianis

crassis illis ventribus. Hæc omnia adhibita proba ratiocinatione arguunt ejusmodi hominem esse temperamenti frigidi.

Indicia temperamenti humidi.

HUmidam corporis constitutionem medici non nimis longè recedere ajunt ab optimo statu, siquidem in hoc calor promtè suscipiatur, totumque corpus sequax admodum sit, & instar argillæ aut ceræ & haut difficile cogi & duci queat. (1) Tactu cutis molliuscula deprehenditur, blanda, glabra, æquabilis, non exasperata, nec hispida quales dicuntur esse fœminę Turcicæ. (2) appetitus satis ordinatus, sitis parca & sobria ob redundãtem totius corporis humorem. Concoctio, si adfuerit caloris auxilium, inculpata & laudabilis, quippe quod haut parum juvetur ab humiditate: Exemplo sunt pisces oleo frixi, aut carnes per elixationem in aquis coctæ. Excremẽta tempori promtissimè deferuntur vel egeruntur, siquidem robusta & vegeta est vis excretrix, veluti retentrix debilior. Unde fit ut ab humore omnes meatus laxentur & saburra viam inveniat. Cæterum ubi humore irrigantur partes omnes, nisi penitus absuerit inopia caloris, homines ejusmodi longævi esse assolent, nam ut demonstravit Aristoteles libro de longitudine & brevitate vitæ, longævitas inprimis accepta fertur caloris & humoris tum bonitate tum copia, quamquam effœminati sint & molles

les, ad procreationem liberorum inepti, imo nec coitum magnopere ambiunt, nec multum illo afficiuntur. Ratio eſt quia ſemen nimio perfuſum humore & lubricitate aquea, nec conſociari poteſt aut conjungi cum ſemine fœmineo, nec pedem figere in utero quin prorſus elabatur. Quis neſcit inſuper partes genitales carere ſpiritu & calore ab humiditate ferme ſuffocatas? pulſus molles, languidi, affectus vero nulli, i. ἀπαθοι, ſenſus turbulenti, ignavi, motus corporis tardus, uti & lingua hæſitans & ceſpitans, quia fex in humoribus natitat, ſomni longi & profundi, ingenium humile, vile & abjectum, non aſſurgens ad altiora aut famam quærens. Memoria promta quidem ſed ægre ſervat concredita. (3) corporis ſtatura vaſta, hercles & procera, humor enim facile ſeſe aſſociat membris adipisque ſubminiſtrat locupletem materiam. Venæ corporis exiles & minus conſpicuæ. Pili vel rari & plani & ſubtiles vel penitus nulli. Nam ut in locis paludoſis, nimioque humore ferme ſubmerſis, raræ naſcuntur ſegetes, ſic in humido corpore rari fruticantur pili, oppreſſo ſcilicet calore ab humore, unde exigua ſperari poteſt fuliginum copia, quibus ortum ſuum pili debent. Excrementa totius corporis inprimis capitis uberrima. Urina pallida & parum caloris habens, à calore enim fere color qui color hic modicus admodum. (4) Color cutis pallidus veluti & capillorum, is enim humoris index eſt (5) ab humectantibus facile læduntur, a

rerum ſiccarum uſu melius habent, hæ enim ad mediocritatẽ quaſi eos reducunt, illa a mediocritate longius abducunt. (6) vita anteacta ad humiditatem maximè inclinavit, victu fuerunt uſi humido, juſculis & piſcibus, otio & quieti vadediti, omniumq; curarum & moleſtiarum vacui. Hæc omnia ſi per artificioſam ratiocinationem in unum faſciculum collegerimus, inveneſrimus hominem temperamento humido inſignitum, cui hæc omnia exactè competunt.

Indicia temperamenti ſicci.

SUpereſt ultimò temperies ſicca, quæ ſi corporis conſtitutionem intuearis omnium deſpectiſſima eſt, ſi animi indolem & dotes, forte non rejicienda. Ejuſmodi argumenta & notæ hujusmodi ſunt (1) Cutis deprehenditur ſqualida, ſcabra, inæqualis, dura, & planè membrana, quales eſſe ſolent pelles equorum ſtrigoſorum, quibus nulla adhibetur cura. (2) Appetitus potius humidi quã ſicci, ſitis continua, quæ modico potu juvatur, multo læditur. Concoctio illaudabilis ob nimiam ariditatem, unde neceſſum eſt, ſanguinem confieri impurum & minus bonum, minusque rectè diſtribui in omne corpus. Hinc ſqualida illa macies. Ad Venerem hi homines inepti ſunt, nec enim ſuppetit genitalis humor, quippe deficiente ſanguine bono deficit quoque ſemen. Pulſus tardus, durus, languidus, ad iram difficulter commoventur, ſi qua tamen accen-

accenſa, poſtmodum ægrè poteſt extingui. Hinc ignoratur invidia, ſenſuum mediocris eſt integritas, niſi pyramidem egerit ſiccitas, ſomnus tardus, abeſt enim blandus vapor, vigiliæ plurimæ, inceſſus motusque corporis partium tardus, ob exſuccos aridosque nervos, tendines & ligamenta, vox tribula & exaſpera: Talem enim reddere ſolēt trachea nimium exaſperata & exſiccata. Difficulter hi homines memoriæ aliquid inſigunt, quæ tamen ſemel exceperint, tenaciter admodum & diutiſſimè retinent. Quod ſi mediocris affuerit calor, prętet memoriam prudentia quoque excellunt, juxta illud: Anima ſicca ſapientiſſima, & in ſicco habitat prudētia. (3) Corporis ſtatura nec magna nec aſpectabilis, ſed exſucca, arida, umbratilis, facies Hipocratica, in qua cutis contracta, tempora collapſa, nares acutæ, oculi rotundi & quaſi ſepulti, labia pallida, mentum prominulum, ungues adunci, pili rari, qui cito defluunt, excrementa pauciſſima. Hujusmodi hominum exempla aliqua multa invenies lib. 2. Epigram. Græc. Euſtippi. Et Ovidius conſimilem Invidiæ larvam depictam nobis dedit:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores,
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum; carpitque & carpitur una
Suppliciumque ſuum -- -- --

(4) Color totius corporis ſqualidus & lividus, adeſt quoque ſæpenumerò fœtor, cujusmodi & tetricum ſolent exhalare Iudęi (5) Ab humectãtibus ſalus illis, à ſiccantibus noxa & damnum. (6) Vita ante acta ſicca quoque fuit. Vina nimis ferventia, aromata, vigiliæ, ſollicitudines, labores, invidia, nimiaque rerum venerearum exercitatio: omnia hæc talia ſunt, quæ corpus emacerare, atque illi nimiam imprimere ſiccitatem conſueverunt. (7) Sic itaque per doctam ratiocinationem colligimus hominem ejusmodi eſſe ſiccæ conſtitutionis. Hactenus excuſſimus argumenta temperamentorum, de compoſitis non plura à nobis ſunt expectanda, illa enim ex ſimplicibus facile elici queunt. Nam homini temperiei calidæ & humidæ conveniunt omnes notæ temperamenti calidi & humidi, ut conſimile eſt inſtituendum judicium de cæteris.

CAP. VII.

Quodnam temperamentum idoneum ſit ad excellentiam Ingenii, & quomodo Melancholici ſint ingenioſi.

MAntiſſæ loco apponemus nonnullas controverſias de temperamentis, quæ & jucundæ ſunt, & non parum faciunt in rem præſentem. Temperamentorum differentias non ſolum à qualitatibus primis, ſed & humoribus denominari jam olim dictum eſt, & eſſe ſangui-

neum,

neum, phlegmaticum, biliosum, melancholicum. Nunc quæritur quodnam ex his quam maximè idoneum sit ad excellētiam ingenii. Vulgare est Melancholicos fermè esse ingeniosos, sed & illud a lectis quibusdam ingeniis, & ab ipso Aristotele argumentis haud levidensibus demonstratum est, sect. 30. probl. 1. Ubi in exemplum adducit Herculem, Bellerophontem, Ajacem, aliosque toto cœlo celeberrimos viros, qui cum heroica fortitudine aliisq; dotibus fuerunt clarissimi, omnes tamen etiam extitere Melancholici. Hoc Aristotelis dogma constabilire & aliquanto plenius interpretari consilium est. Profitemur iccirco, omnes Melancholicæ constitutionis homines ferme esse ingeniosos, quamquam multi sunt viceversa ingeniosi non Melancholici. Quid vocem ingeniosum esse, quid item Melancholicum, paucis accipite. Melancholia in corporibus nostris duplex reperitur, una præternaturalis, quæ propriè atra bilis dicitur, prognata ex bile aliisque humoribus nimis exustis, cui tanta est acedo & virulentia, ut etiam instar aceti acerrimi terram fermentet & ebullire factitet. Hæc in nullo corpore naturaliter habente reperitur, sicubi vero affuerit, horrenda producit symptomata, μανίαν, fatuitatem, phrenitidem, oblivionem, febrem quartanam, cancrum. Altera Melancholia propriè dicta benigna est, quæ nunquam non in corporibus nostris reperitur, aliquota pars laudabilis sanguinis, hæc ipsa est, quam nos intelligimus, quam causam constitui-

mus excellentis ingenii, itaque dum profitemur Melancholicos esse ingeniosos, per Melancholicos intelligimus homines tali temperie prædicos, in qua Melancholia quidem superat & corporis siccitas (in sicco enim sapientia, ut dictitat Pythagoras) sed tamen aut levia quoque caloris vestigia assunt. Ingeniosum eum vero, qui promptè rem concipere & pertinaciter ejus contemplationi immorari ac subtilissimè de eadem re judicare valet. Nunc porro, quod Melancholici his dotibus instructi sint, illud ita demonstrari potest. Quibuscunque sunt spiritus motu agiles, stabilitate firmi, actiones vehementes, luce splẽdidi, hi & facile res oblatas concipiunt, & diu illis immorantur & subtiliter judicant, siquidem spiritus agiles faciunt ad promptitudinem intelligendi: eorundem Spirituum firmitudo, stabilitas, ad pertinaciam cogitandi, eorundemque denique splendor & subtilitas ad subtilitatem judicandi. At vero Melancholici hujusmodi Spiritibus abundant, quorum non est aliunde generatio quam Melancholia blanda non expers caloris. Biliosorum spiritus sunt agiles nimis & inconstantes. Pituitosorum nimis tardi & stupidi. Sanguineorum non habent illam constantiam & vehementiam. Melancholici iccirco sunt ingeniosi. Atque illud est, quod Aristoteles sect. 30. probl. 1. memoriæ prodidit, antiquiores tũ Philosophos, tum Poëtas, tum heroas ingenii excellentia celebres maximam partem Melancholicos fuisse, Empedoclem, Socratem, Platonem,

nem, Homerum, Herculem, Ajacem, Bellerophontem, aliosque quam plurimos. Marſilius Ficinus præter conſtitutionem corporis Melancholicam, etiam è cælo deducit cauſam ingenii univerſalem, ſcilicet Mercurii & Saturni influxum, quo infans recens natus habilis redditur ad inquiſitionem ſcientiæ & conſtantiam in inquirendo. A Mercurio enim inquiſitio & primus impetus ad artium perveſtigationem, à Saturno vero conſtantia & indefeſſum & minime tędioſum ſtudium. Præter has cauſas non ineptè hæ etiam conſtitui poſſunt, quæ maximè faciunt ad nobilitatem ingenii: primum vis & indoles generoſa jure hæreditario accepta à parentibus, fortes creantur fortibus & bonis. Si enim vitia & morbi parentum tranſcendunt in ſobolem, quidni etiam ingenium & mentis vigor? ſiquæ ſunt filii heroum noxæ, nec illi deſinũt eſſe ingenioſi, quamquam ingenio abutantur, atque illud vertunt ad inhoneſta. Secundo, Regio quoque quam unusquisque incolit. qui naſcuntur & vivunt in aere ſubtili, ſalubri, puro, illis conſimiles ſunt ſpiritus & ingenium conſimile. aër craſſus, craſſa facit ingenia, qualibus olim Boëtiam abundaſſe, vel hic verſiculus teſtatur de homine impuro & ſtupido:

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

(3) Cibus & potus ſeu victus ratio etiam vel promovet vel impedit ingenii nobilitatem, quoties enim craſſa aſſumuntur alimenta, craſſi inde

generantur humores, ſanguis craſſus. Spiritus craſſi & turbidi, quales autem Spiritus, tale ingenium. Sunt nonnulla quę peculiari malitia nocent ingenio, uti lac, caſeus, fabæ, piſa, carnes fumo duratæ. Non mirum eſt Italos & Gallos excellenti eſſe acumine ingenii, ſiquidem utuntur pinguiſſima victus ratione, ubi nos è contra Germani Boriariores ventrem explemus craſſa & fœculenta cereviſia, aſellis arefactis, bubula perfumata, halecibus ſalſis, larido rancido, & quæ ſunt cætera ſtabilimenta ventris de genere illo. Quis ſperet ab his eduliis ſubtilitatem ſpirituum? Inprimis tamen neceſſum eſt ſtupidos eſſe eos, qui nimis copioſè ſeſe onerant alimentis; nam ut Græcus habet verſus:

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐκ τίκτει.

Venter craſſus non gignit mentem teneram.

Et rectè Poëta:

-- -- Corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit humi divinæ particulam auræ.

(4) Abſtinentia a Venere dici non poteſt quantum robur addat ingenio & bonæ menti, Virg:

Nulla magis animi vires induſtria firmat,
Quam venerem & cæci ſtimulos avertere amoris.

Et Ovid: ad virum litteris deditum:

Nec Veneris nec tu vini capiaris amore.

D. Tho-

D. Thomas quærens cur homines libidini & rebus Venereis dediti penitus obbrutescant, seque ipsos spolient omni mentis acumine, causam hanc addit, quod sapientia & indoles admirabilis ingenii postulet animum abstractum & sejunctum a rebus corporeis. Hi vero homines pulli cupidinis & nepotuli Veneris, menté planè defigant & immersam habeant rebus corporeis, siquidem nihil ęquè corporeum & sensuale, quã voluptates & illecebræ tactus. Potest & alia reddi naturalis ratio. Ingenium non est absque bonitate & copia spirituum: quibus puri, lucidi & copiosi sunt spiritus, his non desit ingenium. Spiritus vero ex sanguine. At semini materiam præbet purissimus quisque sanguis & optimus totius corporis. Ita qui & crebro & magna copia semen depellunt, hi una opera privãtur laudabili & optimo sanguine. Defectum vero sanguinis sequitur defectus spirituum & ingenii; Et ut verbo dicam debilitas omnium corporis partium. Hinc videmus luxuriosos illos juvenes vix evitare posse miseram maciem & corporis phthisim. Avicenna asserebat, satius esse ex corpore emittere quinquaginta libras sanguinis, quam unam seminis unciam. Et veteres Philosophi, Coitum vocant parvam Epilepsiam, qua non tantum corporis compages destruatur, sed & vis & robur omne ingenii. Eodemque fini Poëtæ Deoculum suum Cupidinem cœcum finxere, quando & corpori & animo stuporem & perpetuas tenebras injicit.

(5) Cre-

(5) Crebra exercitatio ingens quoque adfert juvamen ad roborandas & juvandas ingenii vires, quemadmodum aquæ, quæ non moventur putrescunt, & ut ferrum si non exerceas, rubigo inficit. Ita ingenium & mens nostra si crebro & indefessis studiis exerceatur, splendescit & nitorem acquirit, nec quicquam est quod judicium & memoriam tantopere firmet, quam pertinax & indefessa exercitatio: ceram quo sæpius manibus subegeris, eo promptius recipit imaginem. Idē de animo & ingenio est judicandum. Ut hoc auctuarii loco adjungam. Si quæris, qui fiat, quod qui literis dediti sint homines ii, quamquam non sunt Melancholici à primo ortu, fiant tamen successu temporis? Respondebit Marsilius Ficinus, causam hanc esse quia crebra mentis agitatione consumitur humor & calor cerebri, Spiritus & subtilior sanguis corporis consumuntur, tum quoque Ventriculus destituitur à calore & spiritibus, & denique fuligines & vapores raro, ut par erat, excernuntur. Hinc necessario corporis constitutionem fieri Melancholicam.

CAP. VIII.

Quod animi mores sequantur temperamentum Corporis.

HOc est consectarium quæstionis præcedentis. Si enim felicitas ab inopia invenit, defen-

defendent à corporis conſtitutione, neceſſum profectò eſt, animi indolem ſeſe componere ad faciem & conſtitutionem corporis. Cęterum hujus quæſtionis fundamenta probè jacturi, monere volumus initio temperiem non eſſe quidem cauſam ullarum actionum, quamquam ita docent medici, ſed actionum ſolummodo bonarum. Cæterum animi mores ſequi corporis temperiem, demonſtramus primo Exemplis & diuturna experientia Medicorum. Ira, Amor ſunt animi affectus & mores, ſed videmus ut plurimũ homines temperamenti Melancholici eſſe formidoloſos, Cholerici iracundos. In amorem vero proclives illos, quibus flagrans amor & libido ſævit circa jecur ulceroſum, i. qui jecore ſunt calido & æſtuante. Imo unus idemque homo prout victus ratione varia uſus, modo hanc modo illam acquiſiverit corporis conſtitutionem, ita etiam variis agitatur affectibus. Multi iraſcuntur, ubi nulla eſt iræ cauſa, iidem non excitantur ad iram, etiam graviſſimis moti rationibus; nimirum quia nunc adeſt copia ſanguinis bullientis, nunc nulla eſt. Ira igitur quæ eſt affectio animæ ſequitur corporis indolẽ. Senes decrepiti cur delirãt? non culpa animæ quia hanc habent prudentiſſimam, ſed vitio corporis, Inter quæ datur mutua cõſenſio, illorum uno affecto afficitur alterum. Cæterum inter animã & corpus longè intimior eſt amicitia, quam inter amicos duos aut conjuges: Sic ſi amicus vicem amici dolet, cum illi male eſt, quanto magis

anima

anima corpori compatitur, & corpus animæ, quia hæc illi, illud huic ſubordinatur. Tertio inter homines maximam eſſe ingeniorum & morum diverſitatem, nemo tam hoſpes eſt in mundo qui neſciat. Hoc diſcrimen vel animæ acceptum ferri debet vel corpori. Non animæ, quia hæc omnibus eadem eſt ſpecie, ab illis vero, quæ eadem, nulla ſperatur differentia. Igitur in cauſa eſt corpus, & mores proinde animi, & horum diverſitates ſequuntur corporis indolem multiplicem & diverſam. Quarto, & Hercules niſi ad corporis conditionem ſe componeret utplurimum animus, non poſſent mores animi corrigi aut caſtigari aut immutari, mutato temperamẽto. Id tamen ſæpiſſime perſpicimus effici à Medicis, nam hi bilioſos & pronos ad iram, ab hoc vitio abducunt victu refrigerante & humectante, cum bilis acrimoniam & luxuriam retundat. Hac ratione videtis puerum timidum, ſomniculoſum, cum adolevit fieri audacem & alacrem, inducta ſcilicet morum mutatione, aut temperie & conſtitutione corporis mutata. Nunc porro audiendi ſunt illi, qui non poſſunt huc flectere aſſenſionem ſuam, nec animum inducere ut credant quippiam à corpore ſperare aut emendare animum. Primo nobis opponunt animæ excellentiam, quam nulla ratione decere videtur, ut ſe componat ad arbitrium vilis abjectiq; corporis. Anima, inquiunt, immaterialis eſt & æterna, corpus materiale, caducum & corruptibile. Jam abſurdum videtur, æternum dependere

re

re à caduco, atque ejus ſequi impetum. Illa ſanè quæ nobiliora & ſuperiora ſunt, nec poſſunt nec debent obedire inferioribus. Anima corpore & ſuperior & nobilior eſt, quomodo ergo ſequatur hujus conſtitutionem? Reſponſio in promptu eſt. Cæterum nobile ab ignobili non pendet quoad eſſentiam, ſed fere quoad operationes. Nam anima ita comparata eſt, ut non queat ullas actiones de ſe promere absq; adminiculo corporis, itaq; ita agit uti corpus eſt conſtitutum. Ne quidem perfectiſſima noſtra operatio, quæ nos a brutorum genere ſegregat, corporea noſtra opera carere poteſt, de intellectione loquor.

Ariſtotelis verba ſunt nihil ineſſe intellectui, quod non antea obvium fuerit ſenſibus. Itaq; anima non habet corpus pro nihilo, nec tyrannidē in illud exercet, ſed veluti rex beneficus ſubditis carere nequit, & ſæpiſſime iis morem gerit, veluti mas, quanquam conjugis caput ſit, tamen nunquam non ſe componit ad illius arbitrium, ita animus tametſi dominus & Imperator, tamē corpori ſuo morem gerit. Siquidem longè intimior eſt amicitia & conjunctio animæ & corporis, quam regis & ſubditorum, maris & fœminæ. Nec quicquam eſt, quod vel exigua vel nulla tibi videatur proportio inter animam & corpus: mehercle illa quæ eſſentialiter ſibi ſubordinatur & materia formam veluti perficiens & perfectibile, veluti mas & fœmina, veluti cera & ſigillum. Secundo objiciunt nobis, mores ſæpiſſime immutari à variato temperamento, itaque

que non posse à temperamento dependere. Nemo enim sanus affirmaverit quorum uno sublato alterum tamen manet, illa pendere à se invicem. Verum scias velim quamquam multi Philosophi mores suos malos, in quos per naturalem inclinationem ferebantur præcidisse, castigasse, abjecisse, induisse vel alios probiores, hoc ipsum tamen non obstare, quo minus vera sit nostra assertio. Animi mores sequi temperiem corporis, i. temperiem corpori largiri inclinationem aliquam & aptitudinem ad varios affectus & mores. Temperies non est princeps horum causa, sed coadjuvans solum & conditio, itaque si accesserit superior ratio & voluntas, itemque pertinax studium corrigendi inclinationem naturalem, tum fieri potest, ut alii sint mores quã temperamentum. Nam ut Aristoteles habet: Mens est supra naturam, nihilominus tamen affectus animi sequuntur temperiem, scilicet nisi a voluntate & mente hæc temperies vel inclinatio alio derivatur. Sed hac de re satis.

CAP. IX.

An Temperamentum possit mutari.

HÆc quæstio nascitur ex Philosophis, qua diximus, mores sequi temperiem, & mutata temperie mutari eos. Itaque quæritur anne ulla ratione fieri possit, ut mutetur temperies? Durum sanè videtur & mirum, immutari & de statu

ſtatu priſtino deturbari poſſe proprietatem naturalem, quæ dependet ex intima eſſentia partium. Quis vidit lapidem ſurſum migrari ſua ſponte. Jam temperies æquè naturalis eſt homini quam deſcenſus lapidis. Secundo ſi mutaretur temperies, id maximè fieret in morbis, at illic videtur manere, manet enim natura, quæ eſt morborum medicatrix. Temperamentum vero eſt natura & eſſentia partium, quid ni ergo in morbis maneat etiam Temperamentum. Sed ſatis verum temperiem eſſe in numero illarum affectionum naturalium, quæ à ſubjectis ſeſe ſegregari patiuntur. Non enim eſt accidens inſeparabile qualis gravitas in lapide, ſed ſeparabile, qualis albedo à pariete, aut calor à manu, aut lumen ab aëre. Hujusmodi proprietas ſegregabilis, non tantum abeſſe poteſt à ſubjecto, ſed etiam multipliciter immutari. Secundo falſum eſt illud Galeni, quod temperies faciat naturam, formam & eſſentiam partium. Accidens certè nequit eſſe natura alicujus ſubſtantiæ. Temperies eſt duntaxat conditio quædam & diſpoſitio, qua natura utitur ad ſuas actiones. Itaque in morbis manet natura pereunte temperie. Et annon abſurdum eſt dicere, Exemp. G. In febribus præſentem facere temperiem, Febris eſt morbus, & quidem intemperies. Jam ſi in morbis manet temperies quia manet natura, annon temperies manet in diſtemperie, quo nihil dici poteſt abſurdius. In morbis manet natura, quia manet anima, quæ proprior eſt medicatrix &

effectrix omnium actionum. Anima enim est forma. Et non datur alia natura præter formam & materiam. Cæterum quod temperamenta indies immutent homines, id experientia & ratione demonſtrari poteſt. Experientia, quia videmus hominem unum decurrere per varias ætates, fieri puerum, juvenem, virum, ſenem, alia eſt ætas puerilis, alia ſenilis. Socrates igitur ex puero mutatur in ſenem. Jam quid quæſo aliud eſt ætas, quam temperamenti mutabilis mutatio, cur puer differt à ſene, quia ille humidior & calidior, hic frigidior & ſiccior. Atqui hæc ſunt temperamenta. Cum autem videmus homines per victum ſeipſos immutare & ſuum temperamentum. Exempla è communi vita depromi varia queunt. De Mithridate legimus, quod quotidiana eſitatione venenorum ita ſe aſſuefecerit, ut ſponte & oſtentandi gratia ſæpenumero, quēadmodum loquitur Aulus Gellius, rapidum veloxque venenum hauſerit, atque id ſine omni noxa, ut habet diſtichon:

Effecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Quam ob cauſam cum in prælio victus eſſet, decreviſſetque mori, ſumpto velociſſimo veneno ſed fruſtra, ſuo ſe ipſius gladio tranſegit. Medicus Arabs de puella ſcribit quæ napello, item de anu quę ſerpentibus fuerit innutrita, quibus horum eſus poſtea nihil obfuerit. Malus Perſica

&

& hujus fructus in Persia alunt deterrimum venenum, hic apud nos edi commodè absque damno queunt. Quidni igitur ob variam victus ideam, regionem, aërem, aliasque causas, mutationi obnoxium fieri posse temperamẽtum. Ad experientiã adjungi potest ratio, si temperies immutabilis est, homo quoq; ipse erit immutabilis & æternus, nec ulli subjectus corruptioni. Cur sodes? Quia præter animam & corpus nihil in nobis reperitur. Anima nec senescit, nec corrumpitur. Nam ut Aristoteli arridet, Si senex haberet oculos pueri, æquè videret ac puer. Omnis igitur mutatio à corpore dependet, cujus affectio, temperies est. Quapropter mutato corpore mutatur temperies, imo si acutius volueris philosophari, idcirco mutatur corpus, quia mutatur temperies. Superponderis loco etiam hanc adjungo rationem. Temperies est dispositio primarum qualitatum. Si ergo hæ qualitates variant & immutãtur, utique etiam mutatur temperies. Jam quis nescit, unum eundemque hominem, cum puer est, quam maximè esse humidum & calidum, cum senex, frigidum & siccũ. Itaq; aliter se habent qualitates primæ in puero & sene. Ergo aliter habet temperamentum. Attendamus autem, quid dicat Ioan. Argenterius Medicus admodum subtilis: Temperamentum aliud in nobis esse ab Elementis, aliud ab humore pingui, hoc mutari, illud non item. Sed hæc distinctio nulla prorsus est, nam temperamentum ab humore pingui idem est, quod ab Ele-

mentis. Unde enim humor ille pinguis, ſi non ab elementis: imo quamquam temperies Elementaris ab altera illa ſit diſtincta, tamen & ipſa immutatur, annon enim calor à frigore externo aliquid patitur? Certè contraria in ſe invicem agunt: ſi patitur utique immutatur, & per conſequens mutatur temperies, cujus aliqua pars calor eſt. Alii dicunt, Temperiem immutari, quoad actum ſecundum, non quoad primum, i. mutationem nonnullam deprehendi in actionibus, at cauſam actionum ſeu habitum eſſe immutabilem. Verum non animadverterunt hi viri, unumquodque agere prout eſt, qualis actus ſecundus, talis actus primus, immutato iſto, hic quoque neceſſario immutatur. Aqua quæ calefacit, omnino calida eſt, quæ frigefacit frigida. Sic quoque in datis operationibus ſeu actibus ſecundis temperamentorum ſimul mutantur temperamẽta ipſa. Huc redit ſumma dictorum, nihil eſſe in nobis, quod non patiatur in mutatione, ſi excipias animum viri ſapientis, quamquam, ſi ſubtiliter velit, fateri etiam cogatur, vel ipſum animum non eſſe ab immutationibus immunem, mutatur enim ab inſcitia ad cognitionem, ab errore in veritatem, à vitio in virtutem. Hic ſciſcitari & quærere nonnemo queat, quibus de cauſis & quando immutatur temperamentum, id ſequenti capite explicabitur.

CAP.

CAP. X.

De ætatibus & harum Temperamentis.

NUnc porro pergimus ad hiſtoriam ætatum & quidem maximam. Omnes enim ætatem agimus, & omnis ætatis inſignis evenit mutatio in corporibus noſtris. Ætas nobis nihil aliud eſt, quam ſpacium aut decurſus annorum, quo manifeſta aut evidens ſpectatur mutatio in temperamento totaque conſtitutione corporis. Plerique è vulgo & Medicis ætates ſolent circumſcribere certo quodam annorum curriculo, quemadmodum Varro ſcribit, pueritiam finiri anno decimo quinto, adoleſcentiã vigeſimo, ſed ſi præciſe & propriè loqui velimus, non poteſt certo numero aut præfinito nuda definiri ulla ætas. Etenim quemadmodum homines non æquè omnes ſunt longæ vitæ, Vitæque diuturnitas eſt diverſa aliis atque aliis, ita quoque hi citius, illi tardius adoleſcunt aut ſeneſcunt. Eſt qui vix è pueritiæ terminis exiit, ſi ſpectes corporis indolem cum aliis eodem ætatis anno jamdudum adoleſcens eſt. Nam uti habet Galenus: Calidi citius attingunt pubertatem, frigidi tardius, ſed tamen Medici (& nos quoq; cum illis) utuntur certis annorum terminis, quibus æſtimant ætates, non quod neceſſe ſit

omnium hominum ætatem præcisè illis guber-
nari, ſed ne hæc pars pulcerrimæ artis pareret
regulam. Ideoque iſti anni ſunt quaſi norma in
medio poſita, ad quam alii citius, alii tardius ac-
cedunt. Vel quia naturali fere curſu homines il-
lis annis ad illas ætates perveniunt, quod ſi jam
ſit è multis unus & item alter, qui hoſce annos
antevertat vel relinquat, id non evertit hanc ge-
neralem regulam. Præter annos in ætatum diſ-
criminationibus ratio quoque haberi ſolet acci-
dentium, quæ in corporibus eveniunt, ita in pri-
ma & infantili ætate dentes prorumpunt, exci-
dunt, renaſcuntur, infans ambulare & fari in-
cipit. Ætate ſecunda ſeu puerili jam perfectè no-
vit formare loquelam & habet aptum ingenium
ad diſciplinas & literas addiſcendas. Ætas ter-
tia longè majores ſecum fert mutationes, tum
fœmellis menſtrua erumpunt, & mammæ reſur-
gunt in colles, unde ſororiare & fraterare incipi-
unt, pili quoque ſubnaſci in inguine & in ma-
lis, & in maſculis vox immutari, & jam in ve-
nerem homo proclivis incipit eſſe, redundante
ſcilicet in toto corpore & ſanguine & ſemine,
atque ita ulterius. Cæterum authores varii va-
rias numerant ætates. Ariſtoteles tres facit hu-
manæ vitæ periodos; Iuventutem, ætatem me-
diam & ſenectutem. Huc ſpectat ænigma, quod
à Sphynge fertur propoſitum de animali, quod
mane ſit quadrupes, meridie bipes, veſperi tri-
pes. Prima & infantilis ætas quadrupes eſt, quæ
cum erectè incedere non poſſit, manibus & pe-

dibus

dibus repit, eademque ætas eſt quaſi tempus matutinum, nam incipit primum exoriri & incedere ſupra terram. Ætas media bipes eſt, in qua homo jam & pedibus & cruribus uti poteſt. Hæc eſt meridies vitæ humanæ ſeu medium inter ortum & occaſum i. nativitatem & mortem. Senectus eſt occaſus, ad illam cum homo pervenit, jamjam deſcenſurus eſt infra terram, & quia ſcipioni & baculo ſolet inniti, hinc fit tripes. Pythagoras quatuor facit ætates, quæ ſunt παῖς, νεανίσκος, νέον καὶ γέρων. Varro quoque enumerat quemadmodum & Hippocrates, Pueritiam ſic dictam, quaſi pueri ſint adhuc impuberes. Adoleſcentiam ab adoleſcendo, Iuventutem, quia juvenes robore juvare poſſunt Rempubl. virilem ætatem quaſi dicti ſint à virtute, ſeu quod vis regat in illis ſenectutem. Septem ætates conſtituit Iulius Pollux quæ ſunt παιδιόν, παῖς, μειράκιον, νεανήσκος, ἀνὴρ, γέρων καὶ πρεσβύτης. Sic quoque Aſtrologi ad numerum 7. Planetarum ſeptem conſtituunt ætates. Primam aſſcribunt Lunæ ob humiditatem, mollitiem & mutabilitatem. Secundam Mercurio quæ ſcilicet apta eſt artibus & litteris, quibus pręeſt Mercurius Tertiam Veneri, in qua ſeſe jam exſerere voluptates & titillationes corporis incipiunt. Quartam Soli, quæ quaſi media ſit & Rex totius vitæ humanæ. Quintam Marti, in qua pro gloria, auctoritate, opibus, honore pugnatur, veluti pro aris & focis. Sextam Iovi in qua viget prudentia, æquitas optimaque Conſilia. Septimam, Sa-

turno frigidam ſcilicet Melancholiam & moroſam ſenectutem, ſi quid ulterius aſcendit, id iterum ad Lunam devolvitur, puerorũ dona. Germani noſtri decem numerant ætates circumſcriptas denariis annorum numeris, de iis extant hi Rythmi,

Zehen Iharen ein Kindt,
Zwantzigh Iahr ein Junglingh.
Dreiſsigh Jahr ein Man,
Viertzigh Iahr wol gethan.
Funftzigh Iahr ſtille ſtahn,
Sechtzigh Iahr gehets Alter an.
Siebentzigh Iahr greis,
Achtzigh Iahr nimmer weis.
Neuntzigh Iahr der kinder ſpot,
Hundert Iahr gnade in Godt.

Ut etiam propriam pronunciemus ſententiam de terminis & circumſcriptionibus, ætatem exiſtimamus quam convenientiſſimam eſſe, ſi ſecuti numeri ſeptenarii diſtinctiones, item Magni Hippocratis ſententiam, diſtribuamus totam hominum vitam in quinq; geminos ſeptenarios, ita univerſim erunt 10. ætates quarum unaquæque ſeptem annorum circumſcripta ponitur. (1) Infantia ad annum ſeptimum. (2) Pueritia ad annum decimum quartũ. (3) Adoleſcentia ad annum vigeſimum primum. (4) Pubertas ad annũ vigeſimum octavum. (5) Juventus ad annum quadrageſimum nonum. (6) primum

mum ſenium ad annum quinquageſimum ſextum. (7) Media ſenectus ad annum ſexageſimum tertium. (8) Senecta decrepita ad annum ſeptuageſimum. Harum ætatum hæc ſunt temperamenta, 1. Infantes & pueri humida ſunt & calida corporis conſtitutione. Humida quidem, quia quam maximè abſunt à principiis generationum ſeminis & ſanguinis, nempe quia membra habent mollia, lubrica, flexilia: Calida vero, quia difficulter ferunt inediam. Fames verò à calore, quia plurimum & celeriter creſcunt. Ita Hippocrates; Qui multum creſcunt, hi calido abundant. Non movet nos, quod cruditatibus nonnunquam hæc ætas obnoxia ſit, ſomnoque longo, morbis frigidis, quæ frigiditatis videntur eſſe indicia. Enimvero pueri per accidens Cruditates congerunt ob ſummam voracitatem, ingerũt enim plus quam queunt coctione evincere, hinc humorum ſuperfluitas & cruditas, ſomnus vero multus eſt ab humore & frigore, (2) Adoleſcentia ac pubertas videntur poſſidere æqualem & moderatam temperiem, quia nec tantopere calent aut hument quam ætates præcedentes. Ipſique annorum decurſu humori & calori non parum detractum eſt, neq; enim tantopere frigent, & exaruerunt ut ſenes. Quia nõ eſt illis tam magnus annorum numerus quo ſolo acquiritur frigiditas & ſiccitas. Breviter, non ita calidi aut frigidi ſunt ut pueri, nec ita ſicci aut frigidi ut ſenes. Non tam molles & lubrici ut pueri, nec ita duri aut exſucci ut ſenes. Non

tam glabri ut pueri, nec tam hirſuti ut ſenes, ſed in medio conſtituti utriusque ætatis. (3) Iuventus & virilis ætas, quod temperamento ſint frigidiuſculo & ſicciore, veritati conſentit, nam quanto longius itur ab initio vitæ ad terminum extimum, tanto magis areſit corpus, exſuccius frigidiusque redditur, pereunte ſcilicet paulatim amicabili humore & calore: quamquam magna ſit latitudo hujus ipſius temperamenti, nam vel magis vel minus frigeſcit & exſiccatur corpus pro diverſitate cauſarum. Virilis ætas & ſenectus adhuc magis frigidioris & ſiccioris ſunt temperiei, ſcilicet quod aliud noſtrum eſt vivere quam feſtinare ad interitum, veluti oleū in lampade conſumitur paulatim, tandemq; immoritur flamma, ita in corpore noſtro oleoſus humor à violentia rerum externarum depaſtus exhauritur & perit, tandemque penitus deſit. Hinc Ariſtoteles aliique Philoſophi mortem definiunt extinctionem calidi & humidi.

Superſunt cauſæ ætatum, quæ vel internæ vel externæ. Interna eſt varia immutatio caloris & humoris, qua corpus noſtrum traducitur. Nunc illorum ſat bona pars, & ſatis lauta copia, nunc mediocritas, nunc inopia & egeſtas, itaque eo nomine nunc corpus floret, i. ętas eſt puerilis, infantilis, nunc corpus in ambiguo conſtituitur, ea eſt adoleſcentia, nunc corpus inclinat ad debilitatem, quæ cæteræ ſunt ætates. Ita ſanè eſt, gerimus in proprio gremio Zenonem, cauſam noſtri interitus, & fatali quadam neceſſitate

prope-

properamus ad corruptionem. Causæ externæ sunt sex res nonnaturales medicis dictæ, de quibus prolixius convenienti loco, à quibus corpora nostra multimodè immutantur & afficiuntur.

CAP. XI.

An fœminæ sint calidiores maribus, aut iisdem imperfectiores.

Itemque:

An sint monstra naturæ.

DIssertationem de temperamentis claudimus quæstione jucundissima, quam Macrobius lib. 7. Sed annorum etiam conviviis, Symposiis & suavibus amicorum Confabulationibus dignam judicavit, ea hæc est: Fœminæ an viri sint calidiores, & numquid fœminæ (quod Aristoteles libris prodidisse dicitur) sint defectus quidam, monstra & errores naturæ, virisq; multo imperfectiores. De Temperie fœminarum primo videbimus, deinde de earum dignitate. Fœminas viris calidiores pronũciavit Scaliger Exercit 131. Mammæ, inquit, & uterus non possunt esse opera frigoris, à frigore sunt defectus, à calore additamenta. Nunc fœminæ mammis & utero instructæ sunt, Viri non item. Et si hæc sunt opera caloris, fœminæ erunt calidiores viris. Cæterum nostra est sententia, etiãsi

nihil

nihil detractum eamus honori fœminarum, fœminas non esse tam temperamento calido quam viri. Nam ut Scaligero hoc reponam. Mammæ & uterus sunt opera quidem caloris, non tamen superabundantis, aut majoris, quam est in masculis. Mares non minus uberibus sunt instructi quam fœminæ, fœminæ tamen tumidioribus. Sed hæc magnitudo non tam caloris quam materiæ abundantis soboles est. Ubi materies est copiosa & sequax, ibi mediocris quoque calor efformari aliquis potest. Habent quidem fœminæ uterum, quo viri carent, sed habent viri, quo carent fœminæ, genitalia, inquam foris pendula. Apud Macrob. libro 7. Sat. videre est, alias quoque rationes, quibus astruitur fœminarum calor, quæ quia non tantum ornatè ibi recensentur, sed & suas quoque oppositas habent solutiones, iccirco eo vos remittam, & verborum faciam compendium.

Cæterum quod viri calidiores sint fœminis, id hoc pacto ostendi potest, Quod movetur citius & vehementius, id calidius est eo, quod movetur tardius & debilius: motus enim hujusmodi, de quo nos loquimur, non est, nisi à calore, & motus magnitudo à caloris magnitudine: jam masculi citius moventur & validius quam fœmellæ, masculi ergo fœmellis calidiores. Assumtum probo. In prima generatione masculus calcitrare & moveri incipit mense tertio: Fœmellæ nõ nisi quarto. Masculus validissimè quatit ad domum & creberrimè sese commovet, fœmi-

fœminæ ſatis debiliter, ſatis raro. Maſculus in lucem prodit extra uterum circa trigeſimã ſextam ſeptimanam, fœminæ nunquam ante quadrageſimam à prima conceptione. Hæc opera ſunt caloris, alia quædam cauſa vix fingi poteſt. Accedit & hoc argumentum. Quod caloris eſt abſumere, & maſculi plus abſumunt ſanguinis quam fœminæ, quia hæ menſtruatim abjiciunt bonam ejus partem, quam nequeunt digerere ob imbecillitatem caloris, at viri nihil ejiciunt, ſed omnia abſumunt. Viri ergo fœminis calidiores. Verum enim vero non poſſumus, quin fœminei ſexus dignitatem & perfectionem demonſtremus, ac illam vindicemus ab atroci injuria, quã illi nõnulli inflixerunt homines ſceleſtæ planè fidei, imo mõſtra hominum: quid enim aliud ſunt, ſiquidem ipſi fatentur ſe genitos à monſtris (ſimile enim producit ſibi ſimile) ſiquidem profiteri audent ſcilicet fœminas monſtra eſſe & abortus & prævaricationes naturæ, quaſi natura ſemper generando maſculo intenta ſit, fœminam vero producat per accidens, quoties fine ſuo fruſtratur. Nos hanc gratiam lubenter gratificabimur politiſſimo huic ſexui, & evincemus rationibus, contra quas nullæ invidorum calumniæ prævalebunt (1) Fœminas non habendas pro monſtris (2) Haud minus fœminas perfectas eſſe quam viros, (3) Neque minus neceſſarias. (4) Naturam crebrius producere fœminas quam mares. Ad primum quod attinet mulierculas nec abſolutè, nec reſpectivè ad viros

ros monſtra eſſe demonſtramus. Omne monſtrum rariſſimè & ex accidenti producitur. Fœminarum nec rara nec accidentalis eſt productio. Fœminæ ergo non ſunt monſtra. Aſſumtum probo. Quicquid indies gignitur, imo ſingulis horis, imo quod ſæpius gignitur, quam aliud ejuſdem ſpeciei, ejus ſanè generatio non eſt rara. At fœminas quotidie in mundo naſci, quis tam eſt hoſpes qui neſcit? & ſæpius naſci, quam viros, poſtea demonſtrabimus.

Deinde. Illius generatio non eſt accidentalis cujus determinatæ, definitæ & neceſſariæ ſunt cauſſæ, Sed generatio fœminarum cauſſas habet certas, definitas, determinatas. Non ergo fit per accidens.

Inſuper. Nullum monſtrum eſt perfectius eo, quod ſecundum. Sed fœminæ multæ ſunt viris perfectiores. Non ergo ſunt monſtta.

Quis negaret, Artemiſiam Reginam vel Aretham Philoſopham vel Sybillam aliquam eſſe perfectiorem Corydone aliquo aut ſtupido, bardo, Polyphemo. Genitalium foras prominulorum præſentia non facit ut viri antecellant mulieribus. Ita enim caniculus aliquis præſtaret animæ homini, ſed perfectio ſpectatur in corporis animique integritate. Secundo Fœminæ quod ſint æquè perfectæ ac viri, hinc videre eſt. Quod conſtat ijſdem partibus eſſentialibus, iiſdem cauſſis, iiſdem quoque dotibus accidentalibus, quam aliud, illud æquè eſt perfectum quam aliud.

Sed

Sed fœminis omnia adſunt quæ maribus, ſeu eſſentiam ſpectes ſeu accidentia, Fœminæ non minus quam Viri corpus habent à virtute plaſtica genitum ex ſanguine & ſemine, ex carne, cute, oſſibus, ligamentis, membrisq; aliis coalitum. Quid dum fœminis deeſt, quod viri acceperint in corpore? nam diverſitatem genitalium, ut ante dixi, nihil hic concludere, viris quidem pudenda prominent, at fœminæ intra ſe gerunt uterum, quo viri carent. Pulchritudine & ſpecie corporis, fœminæ plurimum præſtant ſæpe viris, eaque ſunt forma, qua, dicente Comico, vel lapidem ſilicem adigere poſſunt, ut ſeſe ament, qua cælum ipſum nihil emendatius aſpexit. Hæc fermè propria laus eſt & commendatio fœminarum. Sed neque robore corporis cedunt fœminæ viris. Romani ſcriptores litteris prodiderunt, Germanas fœminas olim non minùs quam viros in militiam abiiſſe, & ſtrenuè fortiterq; pugnaſſe, & ſiqua virgo minus viriliter rem geſſiſſet illam pœnæ loco, viro caruiſſe. Artemiſia regem Xerxem in bellum ſecuta eſt, in quo ita ſe geſſit ut rex exclamaverit, Iupiter ex fœminis feciſti viros, ex viris fœminas: ut nihil dicam, Romam aliquando ancillarum operâ ab hoſtium incurſu fuiſſe defenſam. Nunc porro ſi videas formam, an-non fœminis conſimilis eſt anima rationalis intelligens atque viris. Hæc eſt ſumma perfectio hominis, quam cum & fœminæ poſſideant, quis illas dicet viris imperfectiores, Sed nec deſunt fœ-

minæ

minæ dotes & munera animi, quibus ſe magnificè efferre ſolent. Non citabo ad teſtimonium Sybillas, non Sappho Poetriam, non illam quæ in vulgus dedit centones Virgilianos. Videte Corneliam Grachorum matrem, cujus epiſtolas Græcas & Latinas Cicero vidiſſe & admiratum fuiſſe ſe profitetur. Vide filiam illam Scyllę conſulis Romani, quę Latinè docta, parentem ſuum in pleno ſenatu non tantum flexanima & eruditiſſima oratione defendit, ſed à periculo capitis liberavit. Omnes haſce ſuperavit Aretha Philoſophi Ariſtippi filia, in quam Græci dicebant commigraſſe animam Socratis, quæ non tantum in Gręco Latinoque ſermone verſata fuit ad miraculum, ſed & in Academia Athenienſi moralem ac naturalem Philoſophiam publicè docuit per ſolidos vigintiquinque annos. Inter auditores ſuos Philoſophos habuit. Litteris transmiſit ad memoriam poſteritatis quadraginta conſcripta volumina omnis eruditionis copia referta. Vixit vero annos ſeptuaginta. Ite nunc & per invidiam ſubtrahite fœminis gloriam eruditionis. Poſtremo eidem fini ſerviunt vir & fœmina, ſeu ſpectes æternam coram Deo felicitatem, ſeu familiæ integritatem in Republica & domo, ſeu denique æternitatem & propagationem ſpeciei. Tertio fœminæ æquè neceſſariæ ſunt atque viri, non tantum ut jam diximus ad complendam in civitate vel domo familiam, ſed & ad opus naturaliſſimum id eſt ad generationem humanæ ſobolis, quemadmodum fœmina omni-

omninò opus habet viro, ut gignat intra ſe, ſic viro neceſſaria eſt fœmina, ut is gignere poſſit extra ſe. Ariſtoteles hac de re enim ait, mulierem eſſe animal quod generet intra ſe, virum vel extra ſe. Vir & mulier mutuas tradunt operas, nec alter alterius auxilio carere nullo pacto poteſt. Quis vidit virum progeneraſſe ſobolem abſque fœmina? Quæ de homuncionibus per artem excoquendis ſcripſit Paracelſus, meræ ſunt fabulæ & gerræ germanæ. Jubet ille ſemen maris in phialam vitream, atque illam lento igni tam diu fovere, donec naſcatur homulus aliquis, veluti quoque ex pane ad eundem modum in vitro digeſto idem poſſe elici putat verum ſanguinem. Sed ut dixi, hæc ſunt figmenta & meræ abſurditates. Revera igitur nullus vir generat abſque fœmina, fœmina iccirco viro eſt neceſſaria. Sic quoq; ex adverſo fœmina viro opus habet. Breviter: uterque ſexus neceſſarius eſt ad ſpeciei propagationem. Quarto ſupereſt ut demonſtremus plures in mundo reperiri fœminas quam viros, quæ theſis noſtra adverſis frontibus concurrit cum pronuntiato Peripateticorum, qui volunt maſculos primo & per ſe produci à natura, fœminas ex accidente, adeoque eſſe παρεκβάσεις καὶ πάρεργα naturæ. Quare multo parciorem fœminarum numerum ponunt quam virorum. Præterea nos quoque honore mactamus ſexum virilem nec veremur pronunciare largiorem & locupletiorem eſſe naturam in propagatione fœminarum quam marium. Audite ſultis

E noſtras

noſtras rationes. Principio ſi citari debeant ad teſtimonium mulierculæ obſtetricantes, quibus hæc ars eſt in manu, quęque aſſolent in tabulas referre & curioſe adnotare numerum, nominaque infantum recens natorum, hæ interrogatę fatebuntur triplo imo quadruplo plures puellas naſci in mundum quã pueros. Hoc primum eſt. Deinde natura conſuevit recompenſare in uno, quod negavit aut detraxit in altero. Cęterum jã ante monuimus, fœminas eſſe brevioris ævi, nec tam diu vivere, nec tam diu gignere quam mares; Illæ enim ante quinquageſimum annum, hi vero raro ante ſexageſimum deſinunt generare. Hanc imbecillitatem & vitę brevitatem ac generationis recompenſat multitudo Individuorum. Iccirco fœminę quanto citius deſinunt eſſe quam viri, tanto plures ſunt numero. Ejus rei exempla obvia ſunt in univerſo animalium genere, quæcunque longiſſimi ſunt ævi, ea pauca ſunt numero, quæ ævi brevioris, illa plurima. Phœnix unicus eſt in mundo, cujus vita in tot centenos annos prorogatur, ſic Elephantes, ſic Cameli, qui diu manent in vivis & ſero etiam generant, non tanta numerantur copia, at vero paſſeres, lepores, canes, ſues, animalia breviſſimæ vitæ numeroſa admodum ſunt, & immenſa illorum multitudo. Tertio natura ſemper facit id, quod eſt optimum, at optimum eſt plures eſſe fœminas quam mares, natura igitur plures producit fœminas. Aſſumtum probo; optimum eſt ſpeciem magis magisque propagari, & alioquin

quin natura ſemper conatur alterare ſpeciem, ſed melius propagatur ſpecies, ſi plures fuerint fœminæ quam viri; fœminas igitur plures eſſe optimum eſt. Hujus argumenti minor evidens eſt; Nam ab uno maſculo gravidę poſſunt fieri quã-plures fœminæ, & quam primum una fert uterum, actutum inepta redditur. Hic quoque animalia bruta pro exemplis eſſe poſſunt. Conſpicimus unum taurum ſatis eſſe integris vaccarum armentis, unum arietem toti gregi ovium, hircum tot capris, gallum tot gallinis. Si itaque natura in genere brutorum contra unum maſculum tot produxit fœminas, cur idem non credatur feciſſe in proſapia hominum? Ut jam nihil dicam, quamvis par eſſet numerus maſculorum & fœminarum in numero, inſigniter diminui numerum maſculorum indies, quia tot Myriades Mars & bellum abſorbent, a quibus fœminæ hoc quidem ęvo ſunt alieniſſimæ. Atque hic quidem finis eſto de Temperamentis.

CAP. XII.

DE IDIOSYNCRASIA.

TEmperies eſt una ſpecies ſanitatis ſingularis, ſequitur altera, quam nos cum probatis authoribus vocamus *ἰδιοσυγκρασίαν* quaſi diceres peculiarem rationem mixturæ, aut ſingularem quandam indolem hominibusque rebus-

que aliis ingenitam, quæ admirabiles & stupendas producunt actiones. Perlustrabimus primo exempla admirabilium operationum, deinde an hę adscribendæ sint temperiei, an vero occultiori alicui caussæ. In hominum genere multi sunt, qui nequeunt ferre stridorem excitatum à lima, vel dum cultelli acuuntur. Scaliger in Exercit. de Vascone refert, quod audito sono nequiverit se continere, quin urinam faceret prorsus. Quis nescit multos esse, qui abominantur caseum, butyrum, poma, carnem bubulam & alia eduliorum genera. Plurimi non possunt ferre aspectum aut præsentiam felis, glirium, lumbricorum, plurimi hominem nunquam ante visum protinus efflictim vel amant vel odio habent, & ipsi caussã ignorant, quod ipsum Martialis de se hoc versiculo testatur:

Non amo te Volusi, nec possum dicere, quare,
Hoc saltem possum dicere, non amo te.

Populi Psylli & Marsi non tantũ serpentibus impune vescuntur, sed & eorum morsus & vulnera solo sputo prorsus sanãt. In sanguine humano tam admirabiles sunt effectus, ut ad illos animus noster planè obstupescat. In solo sanguine humano latitat vis amorem conciliandi, qui nullo, in quã ævo deleri potest. In eodem tam atrox venenum delitescit, ut vel suo aspectu hominem interficiat. Annon nostra ætate illud secretum in sanguine deprehensum est, quo absenti aliquid

quid ſignificari poteſt ad intervallum aliquot centenorum miliariũ ſpacio vel unius momenti. Celebris quoque hæmatodexis, hoc eſt, cruentatio cadaverum, cum cadaver ad præſentiam oris ſanguinem ſtillat ex vulnere. Deniq; haud ignoramus teſte experiẽtia multos proprio quodam genere & indolis inſtinctu potius ferri in hanc quam illam artem, & plus præſtare in ea, quæ naturę ſuæ familiaris eſt, unico anno, quam aliquot luſtris in alia. Poſſum inſuper non modio aut trimodio, ſed ipſo horreo admetiri copioſiſſimam ſegetem conſimilium exemplorum è brutis, è plantis, ex metallis, ex mineralibus, niſi conſtituiſſem compendifacere tempus & laborem. Nunc quæritur, quæ nam ſit cauſſa effectuum tam admirabilium. Multi é Medicorum filiis, mancipia ſenſuum, cum nihil aliud ſciant præter illa, quæ oculis videri & manibus contrectari queunt, non aliam agnoſcunt efficiẽtem cauſam, quam temperiem, quia ſcilicet hæc eſt illis forma partis ſimilaris. Cæterum hanc abſurditatem alibi refutavimus, nunc hic ſufficiat demonſtratio ineptam eſſe temperiem ad actiones has producendas. Unde ſic argumẽtor. Nulla cauſa agit ultra ſuas vires, ſed admirandæ hæ actiones ſunt ultra vires temperiei: Ergo temperies non eſt earum cauſa. Aſſumptum probo. Temperies nihil aliud eſt, quam diſpoſitio primarum qualitatum, at calor nihil poteſt, quã primo calefacere, ſecundario diſſipare, attenuare, coquere, ſeparare res diverſas. Ita frigus ſo-

lum frigefacit, congregat res diverſas, conſtringit &c. At prædicti effectus ab his viribus ſunt diverſiſſimi & multo excellẽtiores magis ſuſpiciendi. Iccirco ſunt ultra vires temperamenti. Qui ſubtiliores videri volunt inter Medicos, hi non quidem quatuor qualitatibus primis hos effectus aſſcribunt, ſed peculiari & ſingulari cuidam proportioni ſeu rationi, per quam qualitates ipſæ diſponuntur & miſcentur. Verum hi multo minus dicunt. Nam hæc proportio nihil aliud eſt, quam reſpectus aliquis aut modus ex pręedicamẽto Relationis, qui omni agendi virtute caret. Nos igitur exiſtimamus cauſã proximã & genuinam eſſe ἰδιοσυνκρασίαν, de qua ita cenſemus. Omnia inferioris hujus mundi compoſita ſunt ex elementis (ſi ſolam mentem exceperis, quæ foris advenit) Elementa inquam ſunt principia omnium rerum, quas continet mundus hic elementaris. Cæterum in Elementis multa perſpicimus, primo materiam, ſecundo formam, (omne enim corpus naturale conſtat ex ſubſtantiali forma & materia) Tertio, qualitates quæ ſequuntur materiam, ut ſunt denſitas, raritas. Quarto qualitates quæ ſequuntur formas. Suntque manifeſtæ & primæ quatuor, caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas. Cæterum actiones admirabiles & defectus illius ſtupendi haud queunt adſcribi hiſce qualitatibus. Promanant quidem à forma, ſed forma non agit, niſi per medias qualitates. At per medias has qualitates manifeſtas non poſſunt produci hi effectus, quia

nulla causa est vel nulla qualitas agit ultra proprias vires, ut jam diximus. Iccirco concedendæ sunt Elementis aliæ qualitates anonymæ indicibiles, occultæ, abs quibus hæc opera proficiscuntur, neque credibile est Elementa, quæ futura erant materia omnium rerum sublunarium, tam paupera esse & nuda, ut non possiderent nisi nudas qualitates manifestas, quia non possunt vires suas exserere, ultra calefactionem frigefactionis. At corpora mixta debebant aliis & multo excellentioribus actionibus pollere. Ideoque necessario fuerunt Elementis nobiliores qualitates, quas tamen nos nominare nec possumus, nec quales sunt penitus novisse; Ut formæ ipsæ Elementorum nos latent, sic hæ qualitates anonymæ à formis promanantes, utrasque non intelligimus, nisi ab effectibus & à posteriori. Iccirco quemadmodum nuper diximus temperiem esse dispositionem primarum & manifestarum qualitatum: Ita jam profitemur *ἰδιοσυνκρασίαν* esse dispositionem qualitatum occultarum & anonymarum. In temperamento duo spectantur, materia & forma. Materia sunt qualitates primæ, forma est dispositio. Ita in *ἰδιοσυνκρασίᾳ* materiæ loco sunt qualitates occultæ Elementorum, formæ loco est dispositio. Ideoque definimus *συνκρασίαν* Dispositionem Qualitatum anonymarum, abs qua actiones peculiares illæsæ proficiscuntur. Et quemadmodum temperiei contraria est intemperies lædens actiones, ita idiosyncrasiæ contrariatur mala propria tempe-

ries, morbus occultarum qualitatum, cujus rationes manifestè dari non possunt. Quæ hic professi sumus de occultis Elementorum qualitatibus, illorum non nos primi sumus auctores. Sed olim Plinius lib. 2. cap. 96. & lib. 32. cap. 11. in eandem sententiam scripsit inquiens: multa sunt in naturæ majestate intus abdita. Et Scalig. Exerc. 218. sect. 8. sic habet: Ad manifestas qualitates omnia velle reducere summa est impudentia. Et sect. 9. Qui ad manifestas elementorum qualitates omnia reducũt, ipsi nihil aliud sunt quam elementa. Nimirum non denegamus suos effectus qualitatibus primis. Sed velut sutor non sapit ultra crepidam, ita nec illa ultra genium quicquam & ultra quam vires ferunt, efficiunt.

CAP. XIII.

De Sanitate Dissimilari.

PArtibus similaribus corporis nostri convenit Sanitas Similaris, quę vel temperieş est, vel ἰδιοσυγκρασία. Sanitas Dissimilaris est proprium accidens partium dissimilarium, quale est pectus, caput, venter, artus. In hujusmodi partibus dissimilaribus vel compositis, multa reperimus accidentia, magnitudinem, numerum, figuram, cavitates, connexionem, situm, quibus omnibus si legitimè & debitè instructum est

mem-

membrum, tum ſua fruniſcitur ſanitate. Sicubi in aliquo labem ſentiat aut defectum, prorſus à ſanitatis integritate recedit; omnia inquam hæc accidentia ſimul conjuncta neceſſe eſt, ut probè ſint diſpoſita, ſi ſarta & tecta eſſe coguntur. At unius accidentis vitium poteſt ſuppeditare originem ægritudini, multo enim plura requiruntur ad integritatem rei quam ad ejuſdem læſionem. Veluti nuper temperiem & ἰδιοσυγκρασίαν diximus coalitam ex materiali & formali, ita jam quoq; ſanitatem diſſimilarem. Materia ejus ſunt accidentia varia, magnitudo, numerus, figura &c. Forma eſt diſpoſitio horum omnium. Neque tamen propterea ſanitas diſſimilaris erit ens unum per ſe, quanquam conſtat ex rebus diverſarum categoriarum. Hæc enim omnia accidentia veluti materia continentur ſub imperio unius formæ, atque huic ſe ſubmittit, à forma verò una res quælibet fit una. Hoc fundamento definimus ſanitatem Diſſimilarem diſpoſitionem variorum accidentium, quæ naturaliter conveniunt partibus diſſimilaribus abs qua actiones earundem partiū inculpatæ perficiuntur. Ut de his accidentibus breviter dicam, Magnitudo unicuiq; membro ſua eſt, quæ ſi adfuerit ſanum ipſum manet, qui nimis magnum nimisque exile habent caput, non ſunt æſtimandi ſani. Ita numerus legitimus mēbrorum requiritur ad ſanitatem, oculi bini, totidem aures, manus, pedes. Arimaſpi de quibus Plinius, non ſunt probè ſani, quia deſit illis le-

gitimus oculorum numerus, cum non habeant nisi unum oculum in fronte, velut & Cyclopes. Sic Monosceli, vel Unicrures, vel sciopedes eidem Plinio nominati uno solum crure unoque pede sustentantur. Cavitates quoque & meatus convenientes postulat Sanitas, hac lege minimè sani sunt Populi Astomi, accolæ fluvii Gangis, quos Plinius refert ore carere. Figuram quoque convenientem & propriam membra sana requirunt. Iccirco non sunt sanitatis illibatæ, quibus caput est acuminatum vel oblongum, itemque Valgi, Vari, gibbosi. Tunc porro superficiei levitas vel asperitas justa desinit esse, non ego sanos æstimo, qui raucum perpetuo sonant ob nimiam asperitatem gutturis. Denique connexio partium facit quoq; ad sanitatem, ut unaquæque pars vicinæ parti convenienter sit addita. Postremò ut debitum, quoq; situm in corpore obtineat, sic per naturam & sanitatem oculos gerimus in fronte, non in occipitio.

CAPUT XIV.

DE ACTIONIBVS.

HActenus visa nobis fuit Sanitas. Sequuntur actiones, quę sunt quasi soboles & fructus ipsius sanitatis. Ad has enim Sanitas velut ad scopum collimat. Anatomici & Medici nostri actionem motum effectivum partis definiũt,

quæ

quæ definitio nimium eſt inepta. Primò quia actio eſt in ſerie prædicamentorum, motus verò extra prædicamenta. Secundò, Quia actiones ſubſtantiales impropriè dicuntur motus, teſte Ariſtotele. Nutritio eſt generatio novæ ſubſtantiæ. At generatio ſubſtantiæ non eſt propriè motus. Ergo nec omnis actio ſit motus. Tertio, motus effectivus eſt, per quem opus aliquod producitur reale: Id enim eſt efficere ποιεῖν. At dic mihi quodnam opus producit viſio & auditio? Tamen hæ ſunt actiones, non ergo omnis actio eſt motus effectivus. Commodius definiri poteſt Actio, quod ſit operatio proveniens ab habitu & forma partis: per operationem intelligo omnem actum ſecundum provenientem ab actu primo. Hic actus primus eſt forma & habitus cujuſque partis. Per formam intelligo primùm animam, quę eſt principium omnium functionum in corpore viventium, ſecundò formā corporeitatis, ut vocant, ſcilicet per quam os eſt os, & caro eſt caro. Tertio quoque formas accidentales ſeu habitus, ſeu qualis eſt temperies, ἰδιοσυγκρασία, conformatio &c. ab omnibus his formis proveniunt actiones. Cæterum quia omnis actio fit per partem corporis, & partes eſſentialiter ſubordinantur actionibus: Sequitur totuplices eſſe actionum differentias, quotuplices ſunt partium. Duo autem ſunt partium genera: ſimilares ſeu ſimplices. Diſſimilares ſeu compoſitæ. Actiones iccirco aliæ erunt ſimilares, aliæ diſſimilares, Actionem ſimilarem de-

finiunt

finiunt noſtri medici illam quæ à ſola temperie inchoatur & abſolvitur. Inepta hercles definitio hæc eſt, nam actio ſimilaris eſt, quæ fit à parte ſimilari. At in parte ſimilari non eſt tota temperies, ſed & anima & forma corporeitatis, & idioſyncraſia & temperies. Temperies eſt omnium harum cauſarum ignobiliſſima, quę tamen abeſt, ut ſola cauſa ſit actionum, ut ne quidem cauſa ſit ullarum actionum ſimpliciter, ſed duntaxat actionum bonarum, ut ſupra docuimus. Particula ſola excludit omnes cauſas, quo tamen nihil fingi poteſt abſurdius. Ego actionem ſimilarem definierim operationem, quæ provenit à parte ſimilari, quatenus eſt ſimilaris. Quemadmodum ex lege oppoſitorum actionem diſſimilarem à parte compoſita quatenus eſt diſſimilaris. Partes ſimilares voco quæ obtinent ſimilem undique ſubſtantiam, nec poſſunt dividi in alias partes ſpecie differentes, quarum portio etiam minutiſſima retinet nomen & definitionem totius. Ita caro & os ſunt partes ſimilares, quia minutula quævis pars carnis eſt caro, nec caro conſtat ex aliis partibus, ſed ex ſubſtantia ſibi undique ſimili. Diſſimilares partes ſunt, quæ componuntur ex pluribus ſimilaribus ut manus ex cute, carne, oſſibus, oculus ex humoribus, tunicis, nervis &c. Jam igitur quicquid actionum in nobis reperitur id referri poteſt ad has duas claſſes, Ita ſi ſpectemus facultatem animæ vegetatricem, cujus opera ſunt nutrire, augere, generare, con-

coctio

coctio chyli in ventriculo est actio dissimilaris, quæ fit à toto ventriculi corpore, qua illud est compositum ex pluribus partibus. Sic concoctio alimenti, quæ fit in quavis parte similari, ut dum caro sanguinem coquit & generat carnem sibi similem, hæc coctio est actio similaris, quia fit à carne, quatenus est pars similaris. Coctionem in ventriculo sequitur distributio chyli per venas mesatanas ad jecur usque, segregatis tamen prius in intestinis fœcibus inutilibus. In jecore fit sanguificatio, quæ est secunda coctio, ex jecore sanguis per venas defertur in omnes partes, in quibus fit tertia coctio propria & similaris, sic omnes actiones facultatis sentientis sunt dissimilares, motus inquam localis, omnesque sensationes tam externæ quam internæ.

CAP. XV.

DE SPIRITIBVS.

AD incolumitatem & integritatem bonæ valetudinis afferunt quoque spiritus quãmaximum juvamẽ, quibus corporis nostri compages undique est perfusa. Hi si fuerint defœcati, lucidi, puri, vigent omnes animi corporisque operationes. Si turbulenti, impuri, horrendos quoque & innormes cient motus; nam velut ventus Oceano incubans, horrendas excitat tempestates, placidus vero aër pacatum factitat

mare

mare, haut aliter a ſpiritibus turbulentis turbatur mens ipſa, à placidis pacatur. Per ſpiritum hic non intelligimus animã, nec flatum, nec quintam quandam eſſentiam à Chimicis ſic dictam, ſed corpus tenuiſſimum ex ſubtili ſanguine genitum, proximum & univerſale animæ Inſtrumentum ad omnes actiones promovendas. Hippocrates Spiritus ἐνορμῶντα corpora i. impetum facientia, quia maxima illorum eſt vis in noſtris corporibus. Spiritus omnia pervadunt omniaque movẽt, nec quicquam fit laude dignum absque ſpiritibus. Plato, quem Fernelius & multi è medicis ſequuntur, ſpiritum facit mediatorem & vinculum animi & corporis, animus cum ſit æternus, immaterialis, incorruptibilis, ex adverſo corpus caducum, materiale & corruptibile, non poſſe hæc toto genere diſtantia, conjungi absque ſequeſtro & vehiculo ſpiritus, quod utriusque naturæ particeps amborum ſocietate gaudeat, & inſtar glutinis jungat æternum cum fragili & caduco. Rationes quibus Plato adductus fuit duæ ſunt è præcipuis. 1. Quod anima & corpus differant toto genere, At quæ talia ſunt, illa non poſſunt coire atque uniri absque vinculo. 2. Quia videamus naturam in cæteris rebus tota indole ſibi contrariis, aliquid produxiſſe quo quaſi copulentur duo extrema. Verum nos, quamquam Spiritum omnino neceſſarium exiſtimemus, non credimus tamen illum tã requiri ad unionem animę & corporis, quam ad varias ejusdem operationes: differunt quidem

anima

anima & corpus (quæ poteſt eſſe reſponſio primæ objectionis Platonicę) differunt quidem inquam, anima & corpus toto genere Phyſico, i. materia, nam corpus eſt materiale, anima immaterialis, tamen inter hæc eſt quædam eſſentialis ſubordinatio & intimus amicitiæ nexus, quia corpus ultro ſe ſubmittit animæ & per eſſentiam illi ſubordinatur. Anima item naturali inclinatione ſubordinatur corpori, utpote perficiens perfectibili, quam ob cauſam mediatore aut vinculo opus non eſt. Quod ſecundo dicitur de igni & aqua, inter quæ aër medio loco poſitus eſt, id vero nihil facit pro Spiritu, nam ignis & aqua tota natura ſibi contrariantur, itaque periculum erat, ne alterum tolleretur penitus ab altero, cum nulla ſit inter illa ſubordinatio. Itaque bono cõſilio natura his interpoſuit medium aërem. Cæterum de hac controverſia alibi à nobis fuit prolixius diſputatum. Majoris erit operæ videre, Quidnam ſit Spiritus. Principio Medici atque Philoſophi omnes in eo conveniunt, Spiritum eſſe corpus, & quidem corpus tenuiſſimum. Verum de hoc diſputant, quale nam ſit corpus. Plerique cum Platone & Fernelio ajunt Spiritum eſſe ſubſtantiam cœleſtem ſeu æthéream ex cœlo oriundam non ex Elementis. Alii malunt illum vocare Elementarem ex quatuor communibus Elementis, ut cætera omnia corpora prognatum, qui quidem poſteriores propiùs mihi videntur ad veritatis ſcopum. Nec enim facile quis mente conceperit, quo pacto

cœli

cœli particula deſcendat ex cœlo in terram, aut à quo huc detrudatur, nam certè in hoc inferiore mundo de novo generari nequit, neque quicquam eſt, quod objiciunt, actionum admirabilium multitudinem, quas non putant provenire poſſe à corpore Elemẽtari, ſed à diviniore quopiam principio, à Spiritu cœleſti ſcilicet. Nos has actiones vel animæ adſcribimus, cujus tamen inſtrumenta inſunt Spiritui, vel idioſyncraſiæ ſeu diſpoſitioni qualitatum occultarum. Ratum iccirco eſt, Spiritum nihil eſſe aliud quã corpus tenuiſſimum genitum ex ſubtiliori ſanguinis portione, & quia ſanguis eſt ex alimentis, & alimenta ex elementis, hinc quoque ſpiritum eſſe ex elementis. Inſuper quæritur, ſit ne Spiritus animatus & pars propriè dicta, an vero corpus demortuum & inanime? Plerique noſtri Medici hoc honore indignum judicãt Spiritum ponuntq; in eodem cenſu & loco quo humores: Ajunt inquam, Spiritum nõ magis vivere quam bilem, pituitam aut Melancholiam, pilosve. Cęterum ſi rationes ex eis quæras, piſcibus ſunt mutiores, Scalig. Exerc. 280. ſect. 2. demonſtrare conatur Spiritus revera eſſe animatos: ſed non videtur ejus ratio ſatis efficax, quemadmodum alias demonſtrabimus. Noſtra eſt ſententia, Spiritum & revera animatum eſſe, & eſſe in numero partium propriè dictarum. Rationes noſtræ hujuſmodi ſunt. Cuicunque convenit primò definitio, illi quoq; convenit definitum. Spiritibus convenit definitio partis propriè

priè dictæ. Spiritus ergo eſt ejusmodi pars. Aſſumtum probo, partis definitio omnibus numeris abſoluta talis extat apud Medicos. Pars eſt corpus toti cohęrens communi vita conjunctum ad totius uſum & actionem comparatum. Principio Spiritus eſt corpus, ut jam ante demonſtravimus, corpus inquam tenuiſſimũ ex ſanguine genitum. Nihil in nobis incorporeum præter animam. Dehinc cohæret etiam Spiritus toti corpori, & quidem longè firmius, quam Cartilago aut caro oſſibus. Spiritus omnibus partibus intimè unus eſt, quemadmodum in candente ferro ignis cum ferro. Tertio de vita ſpirituum plerique dubitant, at revera Spiritus communi vita ſunt præditi. Nam (1) Quicquid nutritur, augetur, generat, illud vivit, Spiritus nutriuntur aëre attracto & odoribus, non quidem nutritione impropriè dicta, quam dicunt fieri per ſolam oppoſitionem materiæ, ſed vera & ingenita virtute nutritiva, qua convertunt aërem in ſubſtantiam ſibi ſimilem. Ergo & generant, nam nutritio nulla abſque generatione augetur & reſtauratur cum illorum facta eſt jactura. (2) Quod eſt proprium & adæquatum ſubjectum illud vivet. At Spiritibus velut ſubjecto inhærent morbi: vertigo omnibus Medicis teſtantibus eſt affectus Spirituum animaliũ, Ergo vertigo eſt morbus (3) Quicquid eſt animale illud certè eſt animatum & vita præditum: alioquin dic mihi quid eſſet animale? At ſpiritus eſt animalis. Ergo vita præditus. Po-

 ſtrema

strema distinctionis particula itidem convenit Spiritibus, habent enim hi maximum usum in corpore, & sunt instrumenta actionum. Proinde Definitio partis perfectè convenit spiritibus. Ulterius inquirendum venit, Quotuplices sint Spiritus? Medici & Philosophi nostri maximum faciunt gregem Spirituum, multosque asserunt in nobis esse specie differentes. Principio omnium duas summas illorum differentias constituunt, atque alios vocitant insitos seu infixos seu stabiles, alios influentes. Infixos ajunt, à semine & prima origine oriundos singulis particulis constanter inhærere, & totuplices esse, quot sunt partes similares, suum ossibus, suum carni, suum membranis esse Spiritum infixum. Influentes nominant, quod fixis veniant in subsidium, & si quid istorum deperditum sit, instaurent, perpetuoque & nunquam non influant in partes, influant verò ex jecore, corde & cerebro, hinc spiritus influentes triplices illis esse. Naturalem, quem suppeditat jecur per venas. Vitalem ex corde fluentem per arterias & Animalem ex cerebro per nervos. De hac distributione Spirituum hoc non possum non in genere fateri, inutilem mihi & planè supervacuam illam videri: quæ enim nos urget necessitas multiplicare, & tantum Spirituum numero effingere fixorum. Omnes profectò actiones perfici queunt ab uno Spiritu seu communi instrumento, ad varias actionum species satis est partium varietas, quæ suis formis diversis instructæ sunt.

Illi ipsi authores Spiritum definiunt corpus perpetuo mobile, quod si spiritus infixus spiritus est, erit utique ipse mobilis, & quomodo hæc conveniunt, esse fixum & quiescentem & simul mobilem? Ut jam nihil dicam hosce Spiritus infixos constitui ab authoribus causas omnium actionum. At si hoc verum est, annon frustra erit forma cuique parti similari concessa? Cur os diversam habet à carne speciem? scilicet ut diversam producat actionem, actio igitur à forma, quid iccirco opus est facere formam ociosam, & loco illius fingere Spiritum aliquem infixum? Cæterum trinitatē Spirituum influentium Laurentius & plerique ejus Sectatores tali argumēto stabiliunt. Tres sunt animæ facultates: Naturalis, vitalis & animalis: Tres sunt partes principes, jecur, cor, cerebrum: Tria sunt vasorum genera, venæ, arteriæ & nervi. Ergo tres quoque sunt spiritus, naturalis, vitalis & animalis. Mirum, quod non adduxerint quoque tres Charites; trium Entium genera, vegetabilia, mineralia & alia nonnulla ad astruendum numerum ternarium spirituum. Hoc vero argumentum planè nullius est operis, nec potest id præstare, quod ab eo speratur. Nam si totidem constituendi sunt spiritus, quot animæ naturalis facultates, jam non tres, sed septendecim & octodecim erunt Spiritus nostri corporis. Ecce enim totidem animæ facultates specie quidem differentes animæ vegetatrici insunt, nutriens, attractrix, retentrix, concoctrix, expul-

trix, tum augens, tum generans, animæ ſentienti hæ inſunt facultates Iraſcibilis, locomotiva, viſiva, auditrix, guſtatrix, odoratrix, tactrix, tum ſenſus communis, imaginatrix, memoria & denique ratio. Quid cauſæ deeſt, quod ex his omnibus tres ſolummodo facultates poſtulent tres ſpiritus. Cæteræ vero proprios non poſtulant? Nulla ſanè poteſt dari ratio diverſitatis. Haud aliter numerus partium principum non arguit numerum ſpirituum. Nam ſi tot ſunt Spiritus, quot ſunt partes principes, jam non tres ſed quatuor erunt Spiritus, quia vel ipſorummet authorum ſententia etiam teſtes ſunt in numero partium principum, ipſique in corpus ſpargunt auram quandam niduloſam. Patitur ergo & aliquis Spiritus genitus ſpecie diſtinctus à tribus cæteris. Vaſorum quoque numerus nihil facit ad rem præſentem. Nec enim vaſa omia facta ſunt in gratiam Spirituũ, ſed nonnulla quoque in gratiam humorum. Vaſa ſpermatica nec ſanguinem continent, nec ſpiritum naturalem nec vitalem, nec animalem, Vaſa tamen ſunt. Igitur ſi totidem ſunt Spiritus, quot ſunt vaſa, jam novus & peculiaris ſpiritus cõſtituendus erit pro vaſis ſpermaticis. Porro adverſus Spiritum naturalẽ & hujus in corpore uſum ita argumentor. (1) Cujus nullus eſt uſus, nulla neceſſitas id fruſtra conſtituitur & eſſe fingitur. Entia autem non ſunt multiplicanda absque neceſſitate. Sed ſpiritus naturalis nullus eſt uſus, nulla neceſſitas, probatur ita: Quæcunq; opera adſcribi

adſcribi ſolent Spiritui naturali, illa fiunt à Spiritu vitali. Itaque naturali non eſt opus. Vitalis Spiritus eſt inſtrumentum operationum vitæ, actiones autem vitæ ſunt actiones animæ vegetatricis, cnm vita eſſentialiter nihil ſit aliud, quam perduratio animæ vegetatricis in corpore. Jam actiones vegetatrices ſunt nutritio, generatio, auctio. Ergo Spiritus vitalis eſt inſtrumentum nutritionis, auctionis, & generationis. Sed & iſti authores, faciunt quoq; ſpiritum naturalem, inſtrumentum harum actionum. Nunc quod fieri poteſt per pauca, non opus eſt, ut id fiat per plura. Nihil itaq; opus eſt ſpirituũ naturaliũ, cum vitalis ſufficiẽs ſit producendis iſtis operationibus. (2) Quod nec à priori nec à poſteriori demonſtrari poteſt, illud fruſtra eſt, & fruſtra ponitur in nobis. Jam ſpiritus naturalis nõ poteſt demõſtrari à priori, quia nulla ſubſtantia ita demonſtrari poteſt, quod ſit vel depromant nobis authores iſti talem demonſtrationẽ. Tum nec à poſteriori, quia non alio medio ullus Medicorum aut Philoſophorum ſpiritus in nobis demonſtravit quam primo a reſpiratione. Secundo a pulſu, tertio a cavitatibus. Jã vero ſpiritus naturalis nec cum reſpiratione quicquam commune habet, nec cum pulſu, ut ipſi fatentur. Supereſt cavitas. A cavitate nullum ſumi poteſt indicium aut veſtigium ſpiritus naturalis. In jecore enim nulla ſpectatur cavitas. Si ſpiritus poſſunt & generari & contineri absque cavitate, fruſtra natura cavitates produxit in corde, Si neceſſario

cavitates requirunt, utique in jecore nulli erunt ſpiritus, nam inibi nulla eſt cavitas. Venio ad ſpiritum vitalem qui in jecore atque inde per arterias traductus in reliquum corpus generale eſt inſtrumentum omniū actionum. Materia illius partim ſanguis eſt, partim aër: ſanguis per venam cavam in dextrum ventriculum delatus exquiſitius coquitur & elaboratur, & ulterius per medium ſeptum ſeu inteſtinum tranſudat in ſiniſtrum ſinum, ubi formam acquirit & ſpeciem ſpiritus. Aër verò per inſpirationem attractus in pulmones itidem ibi præparatur & tandem trāſmittitur ad cor, ubi conjunctus cum ſanguine materia fit novæ hujus ſobolis. Ab hoc officio generandi ſpiritus Ariſtoteles appellavit cor primum vivens & primum calidū, non quod anima citius incipiat cor informare, quam alias partes, ſed quia ſpiritus vitalis primum vitæ inſtrumentum in corde generatur, tum quoq; quia hic idem ſpiritus eſt fomes & ſubjectum omnis caloris vivifici, fit in corde, unde merito cor nuncupatur primum calidum. Supereſt ſpiritus animalis in cerebro confectus; atque inde per nervos traductus in univerſum corpus auctor eſt & inſtrumentum ſenſus & motus. Patria hujus aut ſedes nativa eſt Cerebrum. Medici quidem noſtri ventriculis ſeu ſinibus cerebri hunc honorem adſcribunt, quod illi præcipuam operam contribuant elaborando ſpiritui animali. Sed quam inepti ſint ad id munus ventriculi, paulo poſt aperiam. Materia illius eſt ſpiritus vitalis,

ex hoc enim creditur produci-ſcilicet ſpiritus vitalis per arterias ex corde in cerebrum delatus, inibi immutatur fitque ſpiritus animalis. Formã ſpiritus animalis & ſpeciem ajunt prorſus differentem & diverſam eſſe a ſpiritu vitali, faciuntque Medici duos hoſce ſpiritus tota ſpecie diſtinctos. Finis denique & uſus hujus eſt, ut per nervos traducatur in totum corpus: fiatque inſtrumentum generale ſenſus & motus. In conſtituenda ſpiritus animalis indole nonnihil recedimus à Vulgari Medicorum ſententia. Primò non exiſtimamus prorſus nullum eſſe, quod volebant Argenterius, Albertus, neque arbitramur illum tota ſpecie differre à vitali, ſed mediæ quaſi eſſe naturæ. Tertio neque eum credimus in ventriculis cerebri elaborari. Initio ſi prorſus nullus eſt ſpiritus animalis, dic mihi, cur natura conficiat nervos? Suffeciſſent itaque arteriæ provehendo ſoli ſpiritui vitali, & quem tandem uſum aſſignabis nervis? nulla certè horum actio alia excogitari poterit, nulla alia opera quam locant deferendis ſpiritibus animalibus, ſed nec ſpecie differre hunc Spiritum à vitali, ita demõſtrari poteſt. (1) Quæcunque nova ſpecies in noſtro corpore generatur, ea producitur per coctionẽ. Coctio verò omnis per calorẽ. Exempla habebis in generatione ſanguinis, ſeminis, lactis, ſpiritus vitalis, carnis, aliarumq; partium, quæ omnia per coctionem, & beneficio uberioris caloris perficiuntur. Hæc eſto Major. Jam ſubſumo, Sed Spiritus animalis non fit aut pro-

ducitur ex vitali per coctionẽ aut beneficio caloris. Ergo Spiritus animalis non est nova species differens essentialiter ex Spiritu vitali. Assumptum probo. Spiritus vitalis natura est ferventissimus & quo nihil datur calidius in universo corpore. At vero cerebrum est omnium fermè partium frigidissimum ex communi Medicorum sententia, Illud vero quod est frigidũ, non potest coquere illud quod est calidius, sed id potius refrigerat, à frigore enim nulla est concoctio, cerebrum itaque solummodo refrigerat & contemperat nimium fervorem spiritus vitalis, quæ frigefactio non potest efficere novam speciem. Oleum calore liquidum redditur, frigore aliquantum inspissatur, manet tamẽ eadem specie res, ita Spiritus vitalis à cerebri frigore & calore aliquantum attemperatus non immutat suam speciem.

Secundò, Ut se habent varii caloris gradus ad varios effectus, ita quoque Spiritus ad suas actiones, At una est caloris species, aliis tamen gradibus utitur aurifex, aliis Chimicus, aliis coquus, sic unus idemque est Spiritus, sed calidissimus, is qui servit actionibus vitæ, aliquanto temperatior.

Tertiò, Species non sunt multiplicandæ absque necessitate, sed nulla est necessitas fingendi novam speciem ex Spiritu animali, cum is suo munere fungi queat, quamquam solo accidente differat à Spiritu vitali. Sic itaque ego censendũ arbitror, Spiritum animalem à vitali differre

ferre ſolis qualitatibus, ſubtilitate & caloris gradibus: vitalis eſt ferventiſſimus, ſubtiliſſimus, qui quam primum appellit ad cerebrum frigidiuſculum, partim frigeſcit, partim addenſatur. Ubi perſpicimus non ſine ſapienti conſilio cerebrum à natura factũ eſſe frigidiuſculum, ut ſcilicet contemperaret nimium æſtum Spiritus vitalis, qui nimis ſubtilis & calidus ineptus erat ad ſenſationes. Nam quemadmodum docet Ariſtoteles lib. 2. de part. animal. c. 2. & 10. Sanguis fervens & ſubtilis robuſtior quidem eſt, ſed ineptior ad ſenſum & intellectum. Etenim ad has animi operationes firmitudo quædam & ſtabilitas requiritur, quæ ſperari nequit à tam calido & mobili & ſubtili ſpiritu vitali. Quis ſcit annon huc reſpexerit Ariſtoteles, dum multoties ſcriptum reliquit in admirando illo opere de animalibus: Cerebrum à natura conſtructum eſſe contemperandi & refrigerandi cordis gratia, quod Galenus & plerique Medicorum nimis craſſè interpretantur.

Supereſt ut evincam Spiritus animales non generari aut contineri in ventriculis cerebri vulgo exiſtimatis.

(1) Natura non confundit nobiliſſimum Spiritum cum vili inutili & putri excremento. Hæc enim nimis inter ſe diſſident, & inquinari ac corrumpi alterum ab altero facile poſſet. Sed vẽtriculi cerebri vulgo exiſtimati perpetuo oppleti ſunt & inquinati, & ſcatent pituitoſis, frigidis & abjectis excrementis, nunquam non in-

veniuntur humore mucoſo ineptiſſimo eſſe referti. Spiritus iccirco animalis non continetur in his ventriculis.

(2) Si in ventriculis contineretur Spiritus, utique ex illis via pateret in nervos, cum Spiritus per nervos debeant deferri in corpus. At ſi ventriculi cum nervis non cohærent, nec in illos via patet ex his, ſed potius meatus aliquis ducit ex his ventriculis in glandulam, pituitariam & palatum, quo ablegantur & transmittuntur excrementa pituitoſa in ventriculis contenta. Credibile eſt, hanc alterationem ſubire ſpiritum in poſtica cerebri parte, quam rectius dicas ſpinalem medullam intra cranium, in qua exilis eſt cavitas, formam habens calami ſcriptorii. Hic præparatur & immutatur Spiritus, & hinc prorſus nervos ſubit, qui omnes ex hac parte oriuntur. Unde, quemadmodum eſt una forma corporis animati, ita unum eſſe ſpecie ſpiritum, univerſale inſtrumentum unius animæ, quod tamen pro partium & ſubjectorum diverſitate diverſas patitur accidentales operationes.

CAP. XVI.

De Calore Innato & humido primigenio.

VIdimus hactenus Spiritum, paucis quoque cõtemplabimur proprietates Spiritus Calorem ſcilicet innatum & humidum radicale. Omne corpus vivens calore genitali perfunditur,

tur, quicquid mortuum eſt, & animam depoſuit illud vel tactu frigidum deprehēditur. Hinc mors Poëtis dicitur gelida, & frigida cadavera. Calor vero iſte Spiritui veluti ſubjecto adæquato adhæret, & cum Spiritus omnia permeet in corpore etiam calor ipſe nuspiã non eſt. Quare dicitur vitalis vel ingenitus, quia inſtrumentum eſt actionum vitæ, omneque vivens comitatur adusque interitum, & jam à prima nativitate partibus eſt ingenitus. Præter hunc calorem Spiritalem eſt & alius in nobis, quem Elementarem vocant noſtri à temperamento provenientem: Nam ut ex pridem dictis liquet: temperamentum eſt diſpoſitio primarum qualitatum Caloris, frigoris & cæterarum. Omni igitur tē- peramento calor ineſt modo major, modo minor. Et quia temperamentum partis manet etiã ab animæ deceſſu (nam interfecti quoque bovis caro eſt caro bubula) alter vero ille calor Spiritalis prorſus evaneſcit anima recedente una cum ſpiritu. Hinc multi in illam devenerunt ſententiam, ut crederent duos hos calores ſpecie diſtingui, quo nomine alterum vocarunt æthereum, cœleſtem, alterum Elementarem. Sed Zabarella opuſculo de calore cœleſti, doctis & nervoſis rationibus demonſtrat, non eſſe niſi unam in nobis ſpeciem caloris. Ita enim ſe res habet. Veluti albedo nivis non differt ſpecie ab albedine Cigni, ſed ſubjecto ſolum ac numero, ita calor Spiritui incidens & calor temperamenti unã faciunt caloris ſpeciem. In corpore enim vivo

ita

ita congeruntur & coeunt, quemadmodum duarum candelarum duæ flammæ sibi invicem appositæ. Calor hic natus atque ipse una Spiritus quamquam omne pervadat corpus, inprimis tamen occupat partium quarumque humorem radicalem. De humido hoc radicali pauca excipite. Possident omnes corporis viventis partes humorem quendam pinguem instar olei aut butyri liquefacti limpidissimum, lentum atq; tenacem, quod fundamētum est & quasi stabile stabulum tum caloris ingeniti tum Spiritus, atq; ipsius vitæ verus & genuinus fomes. Hinc illa pronunciata Aristotelis Philosophorū & Medicorum: vitam consistere in calido & humido, intellige nō quolibet obvio, sed in calido spiritu & humido primigenio partium. Ab hoc humido & calido dependet omnis sanitas, omnis vitæ diuturnitas. Quodcunq; vivens nactum est humidū radicale pingue, copiosum, lentum, stabile, illud perennat in longam annorum seriem. E contra cito interit, neq; esse solet annosum, cui est humidū radicale aqueum, paucum, frigidum, dissipabile. Exempla sunt in promptu: Inter plantas & arbores multæ ad centenos usque annos vigent & virent. Nonnullæ aniculæ sunt & brevissimæ vitæ, istæ possident humidum radicale tenacissimum. Quæ non facilè afficiuntur ab externis injuriis, Ejusmodi sunt quercus, olea, tum quoque laurus, abies, palma, quæ hyeme quandoq; virent, ob summum robur humidi radicalis, quæ à frigore quicquam patiuntur, abundant
aqueo

aqueo & humido & facile corruptibili, ut Cerasus, prunus & pleræq; ex herbarum serie species. Animalia porro terrestria eandem ob causam diutius vivunt quam aquatilia, mares quã fœminæ. Notabile est, quod scripsit Asclepiades; Æthiopes rarò supervincere annum trigesimum ętatis, ubi ex adverso borealiores non rarò 70. aut 80. annos vita implemus: non est alia ratio, quam quia æstus aut fervor nimius aëris exhaurit & absumit humidũ radicale Æthiopum (vivunt enim sub cœlo calidissimo) nos vero, qui aërem haurimus frigidiusculum, nec tantam patimur jacturam humidi à calore circumstante, sed potius à frigore calor noster ingenitus fortior redditur (propter antiperistasin) & humidum radicale robustius. At verò aêris caliditas primigenium humorem non depopulatur, verum etiam res quam plurimæ aliæ, nos circumstantes. Ira, metus, tristitia, curæ, vigiliæ, labores, nimius usus cibi, potus, & veneris, &c. Ut hanc addam coronidem Medici nostri una cum plerisque Philosophis minus rectè mihi videntur docere, dum profitentur, humidum primigenium ita absumi à calore innato, quemadmodum oleum à flamma. Esse scilicet illius pabulum & alimentum: Et hanc continuã actionem & absumtionem causam esse nostri interitus. Ego vero existimo calorem nostrum naturalẽ, non tamen absumere, sed potius servare, tueri, nutrire, generare, partes & harum humidum radicale. Calor naturalis est præcipuus

auctor

auctor & conservator nostræ vitæ, non hostis aut depopulator. Ineptissimè verò comparatur flammæ aut igni: cum potius aëri sit similis. Calor flammæ conjungitur cum siccitate. At calor naturalis conjunctus est humiditati, residet enim in Spiritu, Spiritus hinc humidus aëreus potius dicendus quam igneus. Jam calor humidus non absumit aut depopulatur aliam rem humidam. Quod si eveniat, ut à causis externis calor naturalis transmutetur in præternaturalem & fiat jam non aëri sed igni similis, conjungitur inquã cum siccitate, tum omnino absumit & depopulatur humidum radicale, fitque causa interitus. Sed tum non amplius est naturalis aut amicus aut filius-familias, verum tyrannus, hostis, qui violenter suam exserit potestatem. Sed hæc quidem hactenus. Nunc pergimus ad humores.

CAP. XVII.

DE HVMORIBVS.

DE Humoribus nostri corporis docemus, non quidem eo fine, quod sanitas illis, veluti subjecto inhæreat. Est enim sanitas affectio solius corporis vivi, humores vero vita destituuntur, quia sunt sanitatis causæ effectrices. Etenim si contrariorum eadem est lex & regula, velut humores pręter naturam constituti causa sunt morborum, ita iidem naturaliter & convenienter dispositi sanitatem efficiunt. Humoris vocabulum

bulum apud Aristotelem significat nudam qualitatem, quam alias dicimus humiditatem, Medicis vero est nomen substantiæ denotans vel omne corpus liquidum, seu naturale vel præternaturale sit, cujus in nobis est proventus, vel illud solum corpus liquidum, quod ex alimentis genitum servit nutritioni & sustentationi partium. Variæ sunt humorum differentiæ, quæ ad has classes reduci queunt. Alii sunt naturales, alii præternaturales, isti generantur in constitutione corporis salubri & naturali, suntque causæ sanitatis. Hi fiunt causæ affectuum præter naturam & proveniunt, cum insalubriter & minus rectè corpus habet. Naturalium iterum alii sunt alimentarii, alii excrementitii, illi corpus alunt & sustentant, hi corpori nutriendo sunt inutiles, quamquam semper generentur in constitutione naturalium. Humores alimentarii sunt Chylus, tota massa sanguinea, Excrementitii: Pituita, Bilis, Melancholia, serum, fœces alvi. Præternaturales sunt pituita vitrea, acida, bilis æruginosa, atra bilis, quæ & balneum Diaboli dicitur. Qui nostro serviunt proposito, de iis ordine agemus.

De Sanguine.

INter omnes hos humores familiam ducit sãguis humor seu liquor intra venarum seu arteriarum cavitates contentus. Ejus materia est Chylus, quem ex alimẽtis formari jam diximus.

Nam

Nam ut ex elementis chylus, ita ex chylo ſanguis, ex ſanguine ſemen, ex ſemine partes, ex partibus animal. Chylum vero venæ meſaraïcæ ſugendo trahunt ex inteſtinis, & deponunt in venas majores ipſumque jecur efficiens ſanguinis & tota venarum cohors adjuvante hepatis carne. Nos primò & per ſe vim ſanguificandi tribuimus jecori, Secundariò verò venis. Forma ſanguinis eſt diſtincta à Chylo & cæteris humoribus, quę num anima ſit, ambigitur. Nos, quamquam non agnoſcamus ſanguinem animatum, tamen formam illi concedimus talem, qua admirabiles & ſtupendos affectus profert. Duplicem vero ob finem natura ſanguinem generat (1) ut nutriat, augeat, generetque partes (2) ut ex illo producantur ſpiritus. Cæterum duæ ſunt ſanguinis differentiæ. Alius eſt venoſus, alius arterioſus; Venoſus venis continetur, eſtque partium propria alimonia, non tantum in homine jam genito & facto, ſed & nondum genito, dum adhuc in clauſtris uteri deliteſcit. Amandari enim illic ſolet à natura, & ſi uterus vacuus eſt, nec fœtu repletus, ejicitur menſtruatim ex corpore. Sanguis arterioſus proxima eſt materia Spirituum, multoque calidior ſanguine venali & ſpirituum abundãtior. Ne quis exiſtimet ſanguinem eſſe corpus homogeneum, velut alimenta, quibus veſcimur, magna conſtant partium diverſitate. Ita quoque Chyli ſubſtantia non eſt uniusmodi. Ita nec quoque ſanguis ipſe eſt ſimilaris, aut undiquaq; ejusdem ſubſtantiæ, quamquam

quam primo aſpectu judicio oculorum talis eſſe videatur. Lac (quod nihil eſt aliud, quam ſanguis præter naturæ luſum dealbatus) lac, inquã, primo intuitu videtur homogeneum eſſe, tamen ſi probè inſpicias, conſtat tribus diſtinctis ſubſtantiis: Sulphure, Sale & Mercurio. Sulphur eſt butyrum, Sal eſt caſeus, Mercurius eſt ſerum vel liquor. Ad eundem modum ſanguis componitur quatuor diverſis particulis, quas nomine humorum Philoſophi ſolent ſignificare: Suntque pituita, Sanguis ſtrictè dictus, bilis & Melancholia. His additur 5. ſerum ſeu liquor, qui cæterorum eſt vehiculum. Eos quatuor humores ſimiles dicunt Philoſophi noſtri quatuor anni temporibus: Ut ſanguis qui calidus eſt & humidus reſpondeat veri. Bilis quæ calida eſt & ſicca æſtati. Pituita quæ frigida & humida Autumno, Melancholia frigida & ſicca hyemi.

De Pituita.

PItuita tria apud Medicos & Philoſophos ſignificat 1. portionem ſanguinis frigidiusculam in venis aſſervatam, qua aluntur partes corporis frigidiores. 2. Humorem excrementitium frigidum, lentum in ventriculo & inteſtinis genitum atque ineptum penitus ad alimoniam ſani corporis. 3. Humorem præternaturalem, ſalſum, acidum & pituitoſum, qui ſolet eſſe genitor multarum ęgritudinum. Elegantiores Medicorum vocant has ſpecies tres pituitam

alimentariam, Excrementitiam & præternaturalem ſeu morboſam. Pituita alimentaria, aut ut dicam rectius, ſanguinis portio frigidior proportione reſpondens pituitę, gignitur ibi ubi tota ſanguinis maſſa in venis ſcilicet & jecore, gigniturque ex chili portione frigidiori & crudiori.

Hæc ſucceſſu temporis & accedente calore ulterius poteſt coqui & in perfectiorem ſanguinem elaborari. Excremẽtitia pituita & ipſa quidem naturalis eſt, quippe proveniens in hominibus optimè ſanis ex naturæ quadam neceſſitate non minus quam vel urina vel fœces alvi, verumtamen, quamdiu bene habet corpus nutritioni non ſervit, niſi fortè hanc urgente maxima inedia. Locus in quo primulum generatur, eſt ventriculus, atque inteſtina, quorum parietibus illa adhæreſcit & lubricam reddit illorum cavitatem, Poſtmodum vero cum alvi recrementis ejicitur. Dixi urgente fame & penuria alimentorum, Hanc pituitam alioquin inutilem à calore nativo paulatim coqui & converti in ſuccum & ſanguinem corporis. Ubi enim deſit id, quod laudabile eſt, aggreditur natura etiam id quod minus eſt laudabile, ut ſeipſam conſervet & ab internecione tueatur. Si qui ſunt homines, qui valde oppletum habent ventriculum, & inteſtina hujusmodi pituitam hi diutiſſimè famem tolerare poſſunt, nec appetunt cibos. Exempla ubivis obvia ſunt illorum, qui à cibis abſtinuerunt per menſes imo annos integros. Hujus pituitæ

excre-

excrementitiæ aliqua portio vi caloris in abdomine vigentis mutatur in vaporem & attollitur in cerebrum, atque ibi frigore concreſcit, iterum in liquorem aqueum, qui cum quãtitate & præſentia ſua moleſtus ſit cerebro, ejicitur per poros, meatus & foramina capitis. Hinc lacrymæ oculorum, hinc mucus narium, hinc ſputum & ſaliva oris. Lacrymarum materia quamquam nonnullis credatur eſſe ſerum, imo cum ſanguine per Venas in caput delatum. Ego tamen exiſtimem non eſſe ſolum ſerum, ſed & aliquam pituitoſi vaporis in caput evecti portionem, lacrymæ profluunt tam in mœſtitudine animi, quam in lætitia, In mœrore quidem cum cor & cerebrum comprimuntur, & exprimitur limpidiſſimus ille liquor ex oculis nõ aliter, quam ſi ſpongiam madefactam manu compreſſeris. In hilaritate eadem membra dilatantur atque ita effluere ſinunt contentum liquorem lacrymabilem. Sunt quoque aliæ nonnullæ lacrymarum cauſæ, Mulierculæ enim plorare poſſunt ad animi arbitrium, juxta illud Ovidianum:

Ut flerent oculos erudière ſuos.

Itemque illud Terentii in Eunucho, Hęc verba una falſa lacrymula, quam oculos miſerè terendo vix vi expreſſerit reſtinguet, Haud aliter cæpæ proliciunt lacrymas non tamen comeſtæ, ſed ſi comedentis halitus transmittatur ad oculos alterius, Bias Philoſophus fertur aliquando

dixisse ad Regem Halyattam, Jubeo Halyattam cæpas comesse, quo verbo docti intelligunt illi esse mandatum, ut lacrymaretur. Sunt enim cæpæ causæ lacrymarum, quia halitum acrem & calidum emittunt, qui oculos vellicat, ob quã eandem causam lacrymas excutiant, Raphanus marinus, sinapi quam Plautus sceleratam vocat, quia plorare facit, ut oculi sint lacrymantes. Experimur quoque à nimio solis splendore, à foco nimis luculento, itemque à continua & indefessa intuitione lacrymas prolici, dissipatis scilicet Spiritibus visivis & oculo imbecilliore reddito.

Sputum & saliva in ore colliguntur & ejiciuntur expuendo, non vero differunt, quia sputum habet spumam ob variam & jugem agitationem seu respirationem. Saliva vero magis aquea est. Non tantum à cerebro descendunt, quemadmodum videmus eos, qui catharris obnoxii sunt crebrò expuere, sed & ex ventriculo, ita solent ptyatismo laborare hi qui ventriculum habent oppletum pituitosis humoribus. Mucus est lenta illa pituita, quæ in naribus colligitur, acquirit vero hunc lentorem mora temporis & coctione. Pergo ad pituitam præternaturalem. Illius quatuor sunt genera: Vitrea, Gypsea, aquea & salsa. Vitrea est similis vitro fuso, tenax admodum & lenta & frigidissima, soboles summæ cruditatis & frigoris, hæc generata primum in ventriculo agglutinat sese ad parietes intestinorum, & producit dolores cholicos. Gypsea pituita

tuita impropriè humor eſt, nec enim fluit, aut liquiditate pollet, quod proprium eſt humorum, ſed inſtar lapidis concreta eſt, non abſimilis gypſo aut cretæ. Hæc reperiri ſolet in articulis & cauſa fieri nodoſæ podagræ. Pituita acida vapore quodam pollet, provenitque in ventriculo, quam dum vellicat, excitat famem caninam. Pituita denique ſalſa magna ex parte in capite provenit, cauſaq; fit catharri & plurimarum defluxionum, quæ modo in os, modo in oculos, modo in pulmones decumbit, quas partes arrodendo exulcerat, unde phtiſis, quæ nihil aliud eſt, quam ulcus pulmonum.

Hactenus de pituita, pergimus ad Bilem, quã ſicut humores cæteros, triplicem conſtituimus, Alimentariam, Excrementitiam & præternaturalem. Bilis alimentaria eſt ſubtilior, tenuior, calidior & ſiccior ſanguinis particula, non amara, non erodens, ut bilis excrementitia, ſed nonnihil habens, quamquam parum dulcedinis. Quia bilis alimentaria nutrit certas corporis partes ut pulmones. Quicquid vero nutrit, id dulce eſt, cum nihil amarum nutriat, neceſſe eſt, bilem hãc aliquo modo eſſe dulcem, unde & impropriè bilis dicitur, cum potius vocanda ſit pars ſanguinis bilioſa: neque quisquam in pulmonum carne deprehenderit ſaporem amarum, cum tamen apud omnes in conceſſo & confeſſo eſt pulmones nutriri ſanguine bilioſo. Neque pulmones ſolum ſed & alias corporis particulas. Gignitur enim ex Chili parte calidiori & ſicciori. Et per

venas in univerſum corpus diducitur. Bilis excrementitia eſt, quæ in jecore à ſanguine ſeparata, utpote nutritioni inutilis in veſiculam propriam jecori adnatam detruditur, non quidem attracta à veſicula, ut multi exiſtimant, ſed partim pulſa à jecore & venis, partim innata gravitate illuc ruens, hæc ſi intercludatur via, quo minus poſſit ire in veſiculam, obſtructis ſcilicet venis, permixta ſanguini in totum corpus deducitur, atque illud inquinat lurido, inamœno & flavo colore, qui affectus, Ictericia dicitur. Si ſpectemus qualitates ejus, inſigniter eſt amara, omnium humiditatum naturalium calidiſſima & ſicciſſima, poteſtate intellige & efficacitate, quemadmodum vinum Hiſpanicum, ſiccum dicimus, nam actu ipſo humida eſt & fluit. Uſum quidem non præſtat corpori in nutriendo, neq; tamen prorſus eſt inutilis. Enimvero per certos quosdam canales ex veſicula ſua in inteſtina dilabitur, Eaque virtute ſua abſtergente liberat à nimia pituita, deinde eadem acredine & amarore ſuo irritat ad excretionem fœcum quibus hæc ipſa bilis commixta colorem conciliat flavum, Ipſaque tandem cum fœcibus excernit extra corpus. Bilis præternaturalis non pullat in corpore, niſi male conſtituto, cum illud declinat à perfectione integra valetudinis. Hæc generatur vel ex bile excrementitia, vel immediatè ex nutrimentis corporis, atque ejus quatuor ſpecies conſtituunt Philoſophi. Vitellinam, porracinam, æruginoſam, glaſteam. Bilis vitellina ſimilis eſt

vitellis

vitellis ovorũ tum colore tum consistentia. Porracea jam non amplius flava est, sed aliquanto viridior. Æruginosa similis est ærugini, Glastea denique similis herbæ glasto, i. insignita virore nigricantiore. Inter has, quæ magis recedit à Flavedine, illa pestilentior est. Melancholia terrestrior, crassior, frigidior, nigricantior sanguinis portio est, fœcique vini respondet, non quidem quoad usum, sed quoad consistentiam. Hãc itidem (ut cæteros humores) constituimus triplicem. Alimentariam, Excrementitiam & præternaturalem. Alimentaria est particula massæ sanguineæ, nutriens partes terrestriores. Excrementitia in liene separata à reliquo sanguine, quia non magnæ copiæ, & multo minor bile flava, iccirco non postulavit proprium receptaculum, ut nec pituita (nam qui lienem constituunt receptaculum Melancholię, illi alibi à nobis sunt refutati) sed ex liene. Per vas breve derivatur in ventriculum, vel etiam in intestinum rectum, & exinde per hæmorrhoides statis temporibus ejicitur, ut ita hæmorrhoides sint quasi menstruum virorum seu effluxus vel purgatio Melancholiæ excrementitiæ, Altera in ventriculo ariditate sua stimulat & irritat ventriculum ad appetentiam, unde censetur, irritamentum famis, quo officio postquam defuncta est, una cum fœcibus ejicitur extra corpus. Atque hinc videmus excrementa alvi sæpè esse nigra. Quod vero appetentiam incitet Melancholia ariditate sua, illius exemplum habemus in coquis & acetariis, qui

languentem ſtomachum aſſolent irritare & reducere ad appetentiam.

Melancholia præternaturalis & qualitate & effectibus differt à cæteris duabus ſpeciebus. Acerrima enim eſt, acidiſſima & ſumma erodendi vi prædita, ita ut non tamen exulceret partes corporis, quas contingit, verumetiam ſi ejiciatur ex corpore, odore nocuo facilè poſſet comprehēdi. Ejus effectus in corporibus noſtris ſtupendi ſunt & vehementiſſimi, hic ipſe eſt humor qui quartanam Febrem, qui cancrum, ſcirros, horrendosque alios affectus producit, inprimis autem cauſa eſt morbi atrabilarii, ita enim viri literati vocant delirium ab atra bile exortum, quo homines inſanire & mens de ſua integritate deturbari ſolet, nimirum quemadmodum nebulæ ſolis ſplendorem obſcurant & intervertunt ejus radios, ita humor hic tenebricoſus atque ejus obſcuri vapores mentem obnubilant faciuntque ne ea poſſit ſuo fungi munere. Hinc videmus Melācholicos mira ſibi fingere ſomnia, alii item putant ſe converſos in luſciniam & deflere, Item alios videmus ſibi imaginari, vel caput nullum eſſe vel leviſſimum, alios pręlongum naſum &c. Hoc illud eſt, quod olim monuimus in tractatione Temperamentorum, & quod Galenus proprio opere demonſtravit in Ariſtotele, Hippocrate, aliisque antiquioribus, quod animi dotes ſequantur temperamentum corporis, Nam ſi ingenium poteſt debilitari, imò prorſus aufferri ob malam cerebri conſtitutionem, quid ni etiam

ex

ex lege contrariorum idem ingenium possit juvari, excoli, imo comparari ob laudabilem Cerebri constitutionem? nisi illud concesseris, jam ex mundo exturbanda est universa Medicina & ὑγιεινά, quæ inprimis occupatur in curanda bona valetudine, ut corpore simus vegeti & animo valentes.

Ultimus humorum terminus est Serum, liquor scilicet aqueus, permixtus sanguinis massę, Gręcis dicitur ὀῤῥός. Unde urina sæpe etiam ἰχῶρ, cujus vocabuli usus jam apud Latinos invaluit. Nos serum facimus triplex: Alimentarium, Excrementitium & Præternaturalem. Alimentarium voco, non quod ipsum alat aut nutriat partes, sed quia nutritionem secundario & secundum quid juvat: Est, inquam, humor aqueus sanguinis massæ permixtus & confusus proinde est quasi vehiculum sanguinis. Enimverò quia massa sanguinea aliquanto crassior erat, quam ut subire posset exilia venarum ostia, addidit illi natura serosum & aqueum liquorem, quo diluta commodius posset perennare omnes corporis venas. Materia, ex qua serum gignitur est potus & potulenta quævis, quo enim aliquis plus bibit eo plus mingit. Locus naturalis ex nostra sententia est ventriculus, nam hic ut fœces cur non & serum generabitur? annon & chilus vehiculo indiget, ut subeat commodè exiles venas Mesaraicas. Serum Excrementitium alio nomine dicitur Urina. Estque ille humor aqueus, qui in renibus separatus à sanguine, & post demissus in

veſicam, excernitur à corpore. Urinæ formalis ratio eſt,ut ſit excrementum quemadmodum ſeri formalis ratio eſt, ut ſit vehiculum ſanguinis. Iccirco velut ſerum hanc ſuam formam accipit in ventriculo, ita & urina incipit eſſe excrementum in renibus, in his enim excernitur & ſeparatur à ſanguine. Conſiſtentiam ſuam i. craſſitiem accipit urina à permixtis humoribus. Ipſa enim ex ſua natura aquea eſt & tenuiſſimæ ſubſtantiæ, haud aliter colorem ex ſeſe nullum habet, ſed limpidiſſima eſt, inſtar aquæ,colorē vero accipit ab eadem materia, quæ illi dat conſiſtentiam, nam quando urinam craſſam reddit, id etiam illam tingit. Omnes vero humores miſceri poſſunt urinæ & illam colorare, hinc nonnunquam lactea eſt à pituita,nigricans à Melancholia, rubens à ſanguine; ſed maximè & frequentiſſimè, tum naturaliter tingitur à bile & fit flava, Urinam hominis ſani decet eſſe aurei coloris, à temperata ſcilicet bile & temperato calore, ſi qui color eſt intenſior, ille eſt à calore nimis vehementi & exæſtuante & ab exuſta bila, ſi quis vero eſt imbecillior ad albedinem accedens ille provenit à cruditate & defectu caloris. Qualitas Urinæ, quod potui debeat reſpondere id alicubi ſcriptum eſt ad Nicoclem, ſed hæc vox non tam craſſè debet intelligi. Nam abſolutè loquendo urinam oportet eſſe pauciorem quam fuit potus. Siquidem ima aliqua ſeri pars permiſcetur fœcibus alvi (2) Aliqua pars vertitur in alimoniam membrorum,

(3) Ali-

(3) Aliqua pars, exhalat per ſudores & inſenſibilem tranſpirationem. In genere tamen ita urina reſpondet potui, ut qui multum bibit, is multum mingit, & viceverſa. Ultimò ſpectanda quoque ſunt in Urina contenta, loquor de ſanorum contentis. Ita vero vocantur corpuscula alba inſtar nubium in urina obvolitantia, quæ pro diverſitate locorum & ſitus diverſa ſumunt nomina. In fundo dicitur ſedimentum, in medio ſuſpenſio, In ſummo nubecula. Situ inquam, differunt, at materia conveniunt, quæ prout vel levior vel gravior eſt, ita locum occupat alium vel alium. Materia hæc non eſt alia quam pituita, quæ in omnium ſanorum venis reperitur, quæque per calorem ſeparata fuit à laudabili ſanguine, & una cum ſero vel urina ejecta.

De Sudore.

SEri excrementitii ſoboles eſt ſudor, cujus materia non alia eſt, quam ſerum ipſum, quod una cum ſanguine delapſum in habitum corporis accedente calore ſolvitur in vapores, & per poros cutis egreſſum concreſcit in ſudorem. Hæc ordinaria & naturalis eſt ſudoris materia, fit tamen inſolito quodam modo, ut ſudor quoque fiat ſanguinolētus, Cujus rei exemplum extat apud Ariſtotelem 3. de part. animal. cap. 6. Id vero fit propter ſanguinis tenuitatem 2. proter laxitatem cutis. Porro omnis ſudor ſal-

ſus eſt velut urina, fœtet quoque mediocriter quemadmodum & ipſa urina ſcilicet ob prohibitam tranſpirationem, minus tamen fœtet quã urina, & urina minus quam fœces. Poſtremum eſt ſerum præternaturale quod fit ex corrupto, & minus cocto ſanguine ob vitium jecoris & venarum. Cujusmodi ſero abundant Hydropici quibus aqua intercus occupat totum corporis habitum. Hactenus explicuimus ea quæ faciunt ad conſtitutionem integram hominis. Nunc pergimus ad alia.

CAP. ULTIMUM.

DE PVLCHRITVDINE.

QVemadmodum umbra ſequitur corpus, & fumus igni proximus, ita Sanitas pediſſequam & comitem habet pulchritudinem, cujus conſtitutionem breviter enarrabimus, quam primum hujus vocabuli varias ſignificationes explicaverimus. Pulchritudinis vox analoga eſt, dicitur ſecundum prius & poſterius de rebus variis. Plato triplex facit pulchrum. Unum ſecundum Eminentiam, Unum ſecundum formas, Unum ſecundum participationẽ. Pulchrum per eminentiam eſt ſupremum Ens. Deus Opt. Max. qui quemadmodum ſummè bonus eſt, vel ipſa bonitas. Ita etiam ſummè pulcher vel ſumma pulchritudo ipſa: Græcis καλὸν & pulchrum ſignificat & bonum, bonitas & pulchritudo ęqua-

li

li passu ambulant. Secundum formas pulchræ sunt mentes & nostra anima quippe quæ continet pulcherrimas ideas & formas rerum imò proximò pendent à summo pulchro. Quid pulchrius scientia & virtute? quid turpius ignorantia & vitio? Quid formosius eleganti illa potentiarum harmonia animæ. Hanc animi pulchritudinem dicebat Plato, si videri posset, excitaturam admirabiles sui amatores. Secundum participationem pulchra sunt omnia mundana, quæ quemadmodum nihil sunt, ita neq; pulchra sunt absque participatione radiorum divinorum. Inter hæc triplicia Plato dicebat, Deum primò & per se & simpliciter esse pulchrum, reliqua per analogiam. E contra Aristoteles primò & per se pulchritudinem tribuit corporibus & analogicè rebus Spiritualibus. Existimem reconciliari posse hos heröas, si dixerimus Platonem locutum de pulchritudine absolutè & simpliciter. Aristotelem de Pulchritudine, quæ primò cognoscitur à nobis & sensus incurrit. Cæterum pulchritudo sanitatis pedissequa, duo præcipuè requirit, colorem & conformationem, atque ea nonnisi in exterioribus partibus corporis, nam internis membris propriè pulchritudo non competit. Color corporis non debet esse uniusmodi sed varius, capilli flavi & aurei coloris, oculorum pupilla nigricans, genæ & labia rosea & purpurea, dentes nivei, reliquum omne corpus candidum. Conformatio multa complectitur. Prima est magnitudo. Pulcher homo non debet esse brevis

nimis,

nimis, ut ſunt nani & pumiliones, nec nimis altus uti gigantes, ſed nativa & excellens magnitudo complectitur ſeptem pedes, ſic quoque nec gracilis nimis eſt, aut junceus, quales Chærea apud Eunuchum dicebat eſſe virgines ſui ævi, neque nimis craſſus eſt aut obeſus & pinguis, hæc enim omnia pulchritudinem evertunt. Juſta & pulchra craſſities non excedit tres pedes. Secunda eſt figura, quæ erecta ſit totius corporis, non incurva, qualis eſſe ſolet ſenum decrepitorum, tum inſuper ſingularium partium figuræ convenienter ſe habere debent, uti docent Anatomici. Tertia eſt numerus. In pulchro corpore nihil deſit, aut ſupereſt. Quarta eſt levitas ſuperficiei. Pulchrum corpus non deſinit eſſe ſcabrum aut ſcabioſum, non ubivis hirſutum, neque ubivis glabrum. Exempla hominum pulchrorum infinita produci poſſent. Omnia tamen illa infinita ſuperantur à pulchritudine Salvatoris noſtri, cujus effigiem & picturam, qualis illius fuerit ſtatura, quales capilli, oculi, naſus & qualis tota corporis conformatio, illud curioſè & admodum elegantem deſcribit Nicephorus lib. 1. cap. ult. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.



Liber Secundus.

De salubri usu earum rerum, quibus vita hominum carere non potest.

CAP. I.

De Aëre, & qualis eligendus sit viro litterato.



Iceronis illud verbum secundo Offic. Sanitas conservatur notitia sui corporis, & observatione illarũ rerum, quæ prodesse vel obesse queunt: Hoc, inquam, dictum monet nos, ut post explicatam sanitatis naturam nunc contemplemur res illas, absque quibus nemo potest sanus degere quæ bene utẽtibus bonæ sunt, male utentibus malæ vocantur vulgariter Res non-naturales. Enimvero Medici tria faciunt rerum genera in nostris corporibus. Naturales, Non-naturales & præternaturales. Naturales sunt, quæ faciunt ad essentiam sanitatis, quas nos explicuimus libro præcedenti. Præternaturales sunt morbi & symptomata & horum causæ, quæ vim inferunt naturæ & sanitati: Medio loco sunt Res non-naturales, quibus vel sanitas conservatur, si quis probè eas usurpet vel morbus introducitur, si quis abutatur.

Nume-

Numero vero sūt sex, (1) Aër (2) Cibus & potus (3) Sõnus & vigilia (4) Motus & quies (5) Excreta & Retenta (6) Animi παθήματα vel affectus. De his singulis posito ordine dicemus, ab aëre auspicaturi. Aëris tanta est necessitas in vita & sanitate conservanda, ut illo ne per aliquot minuta horæ carere queamus. Sine cibo & potu multi vivunt per aliquot dies (Hippocrates terminum constituit septendium) immò multi per menses & annos: At sine aëris usurpatione nemo vivere visus est saltem per horam. Intelligo tamen non apertam aëris inspirationem, quæ fit ore sed & occultam perspirationem, quæ fit per poros cutis, quomodo solent mulieres ὑστερικαὶ correptæ deliquio animi nonnunquam ultra 24 horas superesse, & post reverti ad pristinas vires, porro magna est aëris varietas: neque omnis aër convenit omni sano, hîc præsupponimus ex physicis Aërem variè immutari, vel ab astris vel à loci ipsius natura. Ita perpetuo Sol accessu suo & recessu facit ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem, facit diem & noctem, quæ omnia cum suis naturis respondent, tum maximè sana in iis sunt corpora. Est autem natura veris, ut sit calidum & humidum. Æstatis ut sit calida & sicca, Autumnus frigidus & humidus, Hyems frigida & sicca. Variè etiam mutatur aër è regionum seu locorum positu vario. Nam loca fuliginosa & palustria quovis tempore aërem habent impurum & insalubrem. Loca montosa & aprica aërem saluberrimum. Præcipuus cardo

cardo ὑγιαίνης vertitur in eo, ut ſciamus, qualis aër eligendus ſit viro literato, & qui ſeſe ſtudet maximè eſſe ſalubrem. Hic obſerventur hæ Regulæ. (1) Aër vernalis omnium eſt ſaluberrimus omnibus corporibus, inprimis quem haurimus ſub medium menſis Maji. Is enim, quia diſtemperie & æqualitate eſt conſtitutus, non poteſt corpora noſtra non facere temperata. Eſt aphoriſmus aliquis Hippocraticus: Ver eſt omnium ſaluberrimum. Quamquam nõnulli vere potius, quam aliis anni temporibus, ægrotent, ea tamen culpa non eſt aëris verni, ſed ipſorum corporum oppletorũ malis humoribus, quos cum aër temperatus conatur reducere ad mediocritatem, hinc commoventur, perturbantur & morborum fiunt cauſæ (2) Aër ſit, ſi ulla ratione fieri poteſt, cuique natalis. Is, inquam, & in quo nati ſumus, & quem à prima ætate permultos annos hauſimus, hic enim noſtris corporibus eſt familiaris & ſimilis. Simile verò à ſimili conſervatur, Ea dubio procul cauſa eſt, quod quisque occulto quodam affectu feratur in patriam. *Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos, Ducit & immemores non ſinit eſſe ſui.* Si quis noſtrum Germanorum ad Arabas eat nimio ſole peruſtos, vel ad Lappos nimio frigore emarcidos, nunquam ille tam ſanè & feliciter deget inibi, quamquam rebus omnibus affluentibus, quam in ſua patria. (3) Aër ſubſtantia ſit purus, qualitate temperatus. Ut 1. de ſubſtantia dicam, quoties vel nebuloſus eſt, vel maligna corruptione infectus,

(quod tempore peſtis fieri ſolet)toties omni ſtudio eſt evitandus. Nam qualis aër, talis ſpiritus. Quales Spiritus, tales humores, quales humores, tales partes ſolidi, & tale totum corpus. Conducibilius eſt, cum aër eſt nebuloſus & impurus, manere intra parietes, aut ſaltem ſi fieri poteſt, malignitatem aëris corrigere excellentibus quibusdam medicamentis, quæ ſunt duorum generum, ſuffimigia & odoramenta. Suffitus ſunt candelæ quædam odoriferæ, quales etiã hic apud nos incendi ſolent in funeralibus. Tum aquæ quædam ſtillatitiæ odore in vaſculo ſuper ignem poſitæ, quarum halitus diſperſus per aërem corrigit illius malignitatem. Ita vel fornaci vel ignibulo injici ſolent pulveres odoriferi, vel etiam baccæ juniperi, ſuccinũ, thus, myrrha &c. Odoramenta ſunt, quę naribus admoventur, pomum Ambræ, Balſami, Corollæ ex floribus, naribus admovendæ, quibus & ipſis tollitur aëris infectio. Quoties aër qualitatibus (intellige manifeſtis) mediocritatem & temperiem excedit, toties correctio debet induci per contraria. Ita apud nos Aër frigidus corrigitur foco & fornace, Aër nimis calidus itidem corrigi poteſt aſperſione aquæ frigidæ fontanæ, gramine recenter avulſo, foliis vitis, ſalicis, roſis, Nymphæis, violis & herbis quibusque refrigerantibus. Ut concludam, viro litterato eligendus eſt aër, qui ſit in loco aprico, perflabili, non humili ſed alto, quem ſolis radii & venti undique penetrãt, qui remotus ſit à cloacis, paludibus, cæmiteriis, locis uliginoſis, ſtercore & fimo plenis, &c.

CAP. II.

De Cibo & Potu.

AEri ſuccedit cibus itemque potus, Uno nomine dicuntur alimenta vel ſicca vel humida, quibus ſedamus vel famem vel ſitim. Fames appetitus eſt ſicci, Sitis humidi, & per cibum refocillantur corporis partes ſicciores, per potum humidiores. Alimenta quæcunque per os aſſumpta in ventrem ingeruntur quibus partes corporis noſtri nutriuntur, augentur, generantur. De alimentis in genere notanda ſunt, & in illorum uſurpatione obſervanda hæc præcepta (1) Quis ille ſit, qui aſſumit alimentum. Alius enim cibus apponendus quadrato ruſtico, alius tenero litterato, alius item puero, alius viro, alius macilento, alius obeſo. Univerſim cibus deſinit eſſe ſimilis corpori alendo, delicatus delicato, ſolidus ſolido (2) Quantitas alimenti nõ debet eſſe major quam ut naturæ ſatis ſit, i. quãtum commodè coqui & digeri poteſt. Huc pertinet ille Hippocratis aphoriſmus: labor, Venus, cibus, omnia mediocria, τὸ γὰρ ἄμετρον τῇ φύσει πολέμιον. Item notabile illud: Ede citra ſaturitatem, bibe citra ebrietatem. Interdum tamen nõnihil dandum eſt naturæ liberaliori ſeu cibo ſeu potu, ne nimis tenui victu vires proſternantur, Inprimis litteratis, qui alioquin debileſcunt. Quamquã ut Hippocrates habet in aphoriſmis:

Conducilibus ſit repleri cibo quam potu. Hic diſputant Medici, ſit ne largius cœnandum quã prandendum. Nonnulli exiſtimant, quantitatem & menſuram Ciborum in cæna debere excedere quantitatem prandii. Rectius tamen exiſtimant illi qui docent: Copioſius eſſe prandendũ quam cœnandum, viris ſcilicet literatis, qui interſtitio illo inter prandium & cænam ob quietem corporis non potuerunt digerere ſuperfluitates, ita ut ad cœnam ventriculus iis non ſit op-pletus, quibus ſi adhuc copioſior adjungitur cibus, in cæna non poteſt fieri vel bona concoctio vel ſomnus tranquillus. Hinc verſus Scholæ Salernitanæ:

Ex magna Cœna ſtomacho fit maxima pœna,
Ut ſis nocte levis ſit tibi cœna brevis.

Avicenna totius diei alimenta dividi juſſit in tres partes, deque illis duas aſſumendas in prãdio, unam in cœna (3) Tempus ſumendorum alimentorum omninò quoque eſt obſervandum. Diogenes quidẽ jubebat divites comedere cum vellent, & pauperes cum haberent, ſed tamen ſpeciatim eo tempore aſſumendus eſt cibus, quo urget appetitus, quacunque tandem diei hora, non in prandio ſolum aut cœna, ſed extra hoc tempora eſſe. Si quis vero vel conſueverit vel diſcupiat pluries comedere, is una vice videat, ne nimis multum ingerat, Quod ipſum ſedulo obſervant Galli, quibus communiter in more poſitum eſt, quotidiè accedere ad jentaculum,

ad

ad prandium, ad merendam ad cænam, ad collationem, quæ fit à cœna. Pauci tamen ſint cibi & ſæpè quidem, ſed parum comedendi. Denique præſtat pluries conediſſe, quam rarius: neque ii conſultum eunt valetudini, qui ſe adſuefaciunt ut abſtineant à cœna, & ſemel duntaxat cibum capiant de die. Horum vires tandem neceſſum eſt proſterni, neque poſſunt commodè aut diu ſupereſſe. (4) Ordo inſuper non eſt negligendus, nam maximè intereſt, quis cibus, quo ordine aſſumatur. Hic in genere illud notandum, cum quis carnes, piſces, ciboſque ſolidos aſſumit, tum non una vice omnia ſolida eſſe aſſumenda, & poſt una vice potum. Sed cibis intermiſcendum potum, ut jam comedamus, mox bibamus, juxta illud præceptum Salernitanum:

Inter prandendum ſit ſæpè, parumque bibendum.

Ita enim fiet, ut ſolidior cibus optimè commiſceatur cum liquido, fiatque unum χρῆμα & maſſa quam aptiſſima ad χύλωσιν. Huc quoque pertinet ille ordo, qui jubet, liquida præmittenda eſſe duris. Diſputant quidem inter ſe Medici ſuper hac re, ſed quamquam ex omnibus cibis ingeſtis, atque inter ſe commixtis in ventriculo unum oriatur corpus, tamen vel iccirco dura nō erunt præmittenda, quia nimis premunt & affligunt parietes ventriculi, quod non fiet, ſi liquida aſſumantur prius. Regula eſt Scholæ Solertanæ: Ut vites pœnam, de potibus incipe cœ-

nam. Per potum non intelliguntur juſcula, quẽadmodum perperam exiſtimant commentatores, ſed & cereviſia, vinum, aliusque liquor, dividitur, hinc ego exiſtimem adhuc hodie & apud nos & in Anglia ipſa, omne prandium, jentaculum aut cænam auſpicari ab hauſtu cereviſuæ vel vini, ſiquidem hi verſus ad regem Angliæ ſunt ſcripti à Salernitanis, teſte ipſa Schola:

Anglorum regi ſcribit Schola tota Salerni.

Nimirum vulgus hominum, quia non intelligit cauſam ait ſeſe præmittere potum quia lebetem prius eluere oporteat antequam cibum immittas. Denique huc quoque referimus illud, quod apud Macrobium diſputatur lib. 7. Saturnaliorum, ſcilicet cibum multiplicem & varium magis convenire homini & conducere ſanitati, quam ſimplicem (1) quia natura noſtra conſtat ex multiplicibus & diverſiſſimis partibus, quarum unaquæq; ſimile poſtulat alimentũ (2) quia, ut medicamenta ad corpus ægrum, ita alimenta ad corpus ſanum. Medicamenta verò non ſimplicia ſaltem ſunt, ſed compoſita maximè & varia, talia ergo & alimenta eſſe oportet (3) Non eſſe credibile primos parentes tam ſimplici uſos eſſe victu & ſolas voraſſe herbas. Cur enim Deus homini ſubjeciſſet volucres cæli, piſces maris, pecudes terræ, niſi ad uſum vitæ & ſanitatis?

CAP.

CAP. III.
De Somno & Vigilia.

QUemadmodum homo nec aëre nec cibis carere poteſt, ſic & ſomno indiget & vigilia. Omnem hominum ætatem vendicant ſibi duo hæc: ſomnum & vigiliam. Unde rectè Plinius conqueritur, nos duntaxat vivere dimidiam partem vitæ noſtræ, ſiquidem vivere ſit vigilare, & ſomnus morti ſit ſimillimus, adeoque illius frater dictus à Poëtis. Ita ſanè nobiſcum agitur, ut bene poſſit eſſe perpetuo vigil, *Quod caret alterna requie durabile non eſt*, itaque ſapiens natura introduxit in mundum viciſſitudines lucis & tenebrarum, dierum & noctium, ut de luce vigilaremus, & actionibus noſtris incumberemus, de nocte per quietem & ſomnum refocillaremus laſſas vires corporum noſtrorum. Hinc illud deducitur præceptum Catholicum: In ſanis hominibus ſomnum debere ſuccedere vigiliis, uti nox diei, & ſomnum eſſe nocturnum, vigilias diurnas. Cum ſole ſurgente nobis eſt ſurgendum & evigilandum, cum eodem occiduo & decumbente, nobis cubandum & dormiendum. Et ſanè nox ſua quadam natura invitat ad ſomnum ob tenebras, quæ impediunt ſenſuum actiones, ob ſilentium, quod abſtrahit à congreſſu & negotiis externis, ob frigus, quod pellit calorem verſus interiora. Nec enim ſom-

nus aliud eſt, quam privatio ſenſationum, proveniens à vapore cerebrum occupante. In ſomni & vigiliarũ uſu nonnullæ ſunt obſervandæ regulæ.

1. Omnis ſomnus & vigilia ſint moderata, Id & jubet aphoriſmus Hippocratis, & antiquus ille Philoſophus κρεῖττον ἐ χρεω τῶν δὲ σιτῶν μεν πρώτιστα καὶ ὕπνου λαγχάνει ἐστ. Enimvero per immodicum ſomnum omnes ſenſus hebeſcunt, cerebri & ingenii vivacitas obruitur, calor nativus ſopitur, nec coctio, nec excrementorum expulſio eſt perfecta. Sic quoque immodicæ vigiliæ exhauriunt Spiritus & calorem, corpus exiccant, delirium inducunt, In ſpecie ſi quis robuſtus fuerit & bene validus, quales ſunt ruſtici & operarii fabriq; ei ſatis eſt dormiſſe per ſeptem horæ ſpatium. Literati, mulieres & debiliores requirunt novem horas, infantes duodecim vel ſedecim.

(2) Somnus ſit de noctu, vigiliæ de die juxta illud Scholæ Salernitanæ:

Surgito poſt epulas, ſomnum fuge meridianum;

Itemque

Hæc tibi proveniunt ex ſomno meridiano,
Febris, pigrities, capitis dolor, atque Catharrus.

Habet tamen hæc regula ſuas etiam exceptiones. Non omnis de die ſomnus malus eſt, initiò enim pueri & infantes quam ſaluberrimè dormiunt de die. (2) Viri litterati & ſenes & debiliores dormiunt quoque de die non ſine commodo ob virium reſtaurationem. (3) Homines

habi-

habitantes in locis calidis, ut Hiſpania, Italia, Gallia & longa conſuetudine & bono cum emolumento dormiunt de die. Hęc duo tamen erunt notanda in ſomno meridiano. (1) Ne fiat prorſus à prãdio, ſed interlapſa ad minimum ſesquihora, vel duabus horis. (2) Ne ultra horam extendatur. (3) Modus dormiendi talis eſto, ne quis decumbat ſupinus in dorſo, hinc enim omnes humores defluunt verſus medullam ſpini, unde obſtructiones, incubus, ſpaſmus, & plurima horrenda mala. Ne quis etiam prono prorſus capite dormiat, ita enim in oculos decumbunt humores, & illos obfuſcant, neque etiam ſtans vel ſedens dormiat, ſed commodiſſimum eſt & ſaluberrimum veſperi dum itur cubitum, decumbere latere dextro, verſus auroram ſiniſtro, juxta hunc verſiculum:

Veſpere decumbas dextrà, ſed mane ſiniſtra.

Nam ſi dextræ incumbamus, ſimul jecur, lien, omniaque viſcera circumdant ventriculum, juvantque coctionem, cor verò liberum fit, nec premitur, quod omnino fieret, ſi veſpere incumberemus ſiniſtræ, mane vero facta coctione ſi ſiniſtræ nos impoſuerimus, reliquiæ humorum facile poſſent diſcuti in ventriculo jam libero facto. (4) Locus ſomni ita ſe habere debet, ut nec in radiis ſolis aut lunæ dormiamus, nec locis humidis, neque ſine periculo dormitur in gramine aut ipſa terra.

CAP. IV.
De Motu & Quiete.

HOminis vita nec motu carere poteſt, nec quiete, & ita eſt, quod cum ludas trocho vel pila luſoria jam movētur poſtmodum quieſcunt, ſcilicet Dii nos quaſi pilas homines habent, interdum movemur, interdum quieſcimus, motus & quies alternatim ſibi ſuccedunt. Inprimis vir litteris deditus, neceſſe eſt, ut probè obſervet, quo modulo & ratione corpus movere aut quieſcere debeat. In motu igitur & Quiete hæ erunt obſervandæ regulæ (1) Quantitas, Aphoriſmus eſt Hippocratis. Omne nimium naturæ inimicum, Ergo & motus & quietis aliqua debet eſſe mediocritas. Nimius enim motus plus juſto calefacit, iccirco ſpiritus quoque abſumit, corpora reddit arida & exſucca, omnem coctionem evertit & turbat, extincto ſcilicet & diſperdito nativo calore, hominem denique redigit ad miſeram macritudinem & debilitatem. Ex adverſim Quies immodica omnes animi vires obtundit & ſtupefacit. Excrementorum proventum generat, calorem ſopit, & quaſi emori facit. Si quis exercitiis aut laboribus indulgere cupiat, is non excedat limites ſuæ naturæ, ſatis eſt ſe movere usque ad lenem ſudorem & laſſitudinem.

(2) Tempus exercitii probè obſervandum. Unde

Unde Aphoriſmus Hippocratis: labores antecedant cibum. Inter laborandum, nec eſt bibendum, nec comedendum, nec inter comedendum eſt laborandum. Proinde peſſimè ſibi conſulunt, qui inter epulas attentè lectitant vel meditantur, Ita enim omnis Spiritus & calor avocatur à ventriculo ad cor & deſtituit coctionem. Nulla enim eſt actio, in tota vita, quæ tot requirat Spiritus & tot abſumat quam attenta meditatio & ſpeculatio. Sic quoque mox à cibo non eſt exercendum corpus, juxta illum verſiculum:

Poſt cænam ſtabis, vel paſſus mille meabis.

Item:

— — Non ſit tibi vanum,
Surgere poſt epulas — —

Convenit quidem à prandio vel cæna levis deambulatio, ut cibus deſcendat & undique ambiatur à ventriculo, at validum exercitium non conducit. Illo enim calor diſpergitur, concoctio impeditur, vires proſternuntur, ſed omne exercitium antecedat cibum, vel procul ſequatur cibum, ita enim per prævium moderatum motum ſuſcitatur calor corporis, diſpelluntur vapores & humores ſuperflui, excitatur appetitus, totumque corpus fit vegetum.

(3) Qualitas exercitiorum vel motuum eſt inſpicienda, non omnibus omnia conveniunt. Ruſticis & Mercenariis relinquamus improbos & duros labores. Satis eſt, ſi gens ſtudioſa ſe

exer-

exerceat vel ambulando, navigando in flumine, equitando, inprimis pila luſoria, de cujus luſu & utilitate elegans opus conſcripſit Galenus. Non impedimus etiam, quo minus aliquid tractet delectabiles aut operoſas artes mechanicas, Sic quoque lucta, pugillatus, ſaltatio, ſi debito tempore & modo adhibeantur, exercitia ſunt non inſalubria. Vitæ & ingenii ratio, quam quisque tenet præſcribet cuique genus & qualitatem exercitiorum.

CAP. V.

De Excretis & Retentis.

QVamquam natura ipſa prædita ſit vi excernendi, quæ ſuperflua ſunt, & retinendi, quæ ſunt naturæ innata, tamen quoque hic locum habent præcepta & regulæ, ut ſciat unusquisque modum, ordinem, quantitatem, aliasque circumſtantias excernendorum & retinendorum. Per excreta intelligimus omnia illa, quę in corpore ſuperflua extra illud ejici debent. Retenta ſunt, quæ debent obſervari. Excrementorum ſumma genera hæc ſunt. 1. Fœces alvi & urina. 2. Calida exhalatio, ſudor & ſordes cutis. 3. Peculiaria excrementa capitis, ut ſordes aurium, mucus narium, prurigo capitis, limus & ſaliva oris. 4. Sanguis & ſemen ſuperfluum. De his ſingulis notentur hæ Regulæ. 1. Fœces alvi uti & urina non detineantur in corpore, ul-

tra naturæ instinctum, fœces enim nimis diu asservatæ indurescunt & humiditas illarum nocua dispergitur per corpus, unde dolor capitis, vertigo, febres, nausea. Sunt vero ejiciendæ fœces singulis diebus in aurora, & quidem fœces pridiani cibi. Nam si quis eodem die ejecerit, quo cibum assumpserit, quod fit in dyssenteria & alvi profluvio, non est bonum argumentum. Significat enim alimentum non bene concoqui, sed prorsus ejici cum fœcibus. Hippocrates scribit sanorum fœces debere esse molles, non inæquales, i. partim duras, partim molles, Itemque flavas, mediocriter, non nimis male olentes. In genere, qui alvo sunt lubrico, saniores vivunt, quam qui duriore. Haud aliter urina non debet retineri ultra modum. Quoties natura instigat, toties est mejendum, si nimis diu detineatur, nimis calefit & crassescit, hinc inflammatio & calculus, arenæ renum & vesicæ, hinc vesica nimia copia distenta sæpè rumpitur & præsentem affert interitum. Per exhalationes intelligo calidum illud, quod ex corporibus nostris expirat, vestesque & stragula calefacit, Hæc iccirco uti & sudor, & sordes cutis debent segregari à corpore. Illud fiet vel frixione modica qua pori aperiuntur, & sordes detergentur vel balneo humido, quod & ipsum relaxat cutim, & sordes abluit. De balneis tamen probè videndum, ne sint nimis crebra. Ita enim hominem adigunt ad interitũ, & semper citius moriuntur, qui balnea amant, quam qui ab iis abstinent. Unde Distich:

Balnea,

CAP. VI. & Ultimum.

De Animi Affectibus.

ANimi pathemata (quia ultimum habent locum inter ſex res non-naturales) hic non alio fine perpendimus, quam quatenus illorum moderatio ſanitatem juvat & tuetur. In genere omnis nimius affectus omni corpori nocet. Nam ſi velimus unum vel alterum è præcipuis intueri, in metu & triſtitia ſanguis cum Spiritibus maximo impetu ruit verſus cor, unde fieri poteſt, ut calor nativus haud aliter extinguatur, quam à nimio affuſo oleo flamma extinguitur. Ex adverſim in lætitia ſanguis cum ſpiritibus à corde abeſt ad ſuperficiem corporis, corde ſcilicet dilatante. Hinc quoque interitus accidere poteſt homini propter ſanguinis & Spirituum diſceſſum à corde non aliter, quam ſi lampadi quiſpiam ſubtraxerit oleum. Nimia ira nimis ebullire facit ſanguinem, & corpus calefieri, unde morbi bilioſi. Non tamen neſciendum certis temperamentis certos convenire affectus. Qui corpore ſunt nimis frigido, crudo, phlegmatico & tardo, his prodeſt incitare ad iram & huic indulgere. Sic enim à calore iræ frigus reducitur ad temperiem, Ita è contrario qui nimis ſunt calidi & æſtuantes, his convenit quandoq; metuere & contriſtari. Sed hic ſubſiſtimus, ne limites egrediamur præſcriptæ noſtræ Methodi.

LIBER



Liber Tertius.

Continens nonnulla medicamenta pro litteratis.

CAPUT I.

Quomodo restituendus sit ventriculus debilis.



Am animus eſt adjungere ἐπίμετρον, & coronidis loco ſtudioſis litterarum cõmunicare rara quædam & excellentia medicamenta contra affectus, quibus illi conflictari utplurimum ſolent, ſed ſummo verborum compendio. Atque ea omnia petita ex agro medico, & ſaltem commodato huc tranſlata, propriè enim ad Phyſicam non pertinent, cum longum latumque ſit diſcrimẽ inter haſce duas diſciplinas. In viris ſtudioſis & litteratis plerumq; malè haberi ſolent (1) Ventriculus (2) Jecur (3) Lien (4) Cor (5) Cerebrum (6) Oculi & cutis, quibus deſtinabimus cõvenientia pharmaca à ventriculo exorſi. Ventriculus ergo eſt quaſi

Balnea, vina, venus, corrumpunt corpora nostra,
Et servant eadem, balnea, vina, venus.

Qui cute sunt astricta & occlusa, his conceditur nonnunquam balneum, ut evocentur è corpore foras excrementa & aperiantur pori, at qui cute laxa sunt balneis non indigent. 3. Peculiaria capitis excrementa sunt sordes aurium, mucus narium, saliva & limus oris, sordes capillis permixtæ & cuti adhærescentes, hæc omnia debitè & legitimè expellantur, si enim non fuerint expurgata sed retenta, non leve inferunt damnum toti capiti, inprimis cerebro & bonæ menti. Phlegma aurium singulis auroris debet eximi, ne obstruatur meatus auditorius: in quem finem aures quoque eluantur frigidè. Oculorum quoque sordes quotidiè mane abstergantur, & multum proderit visui abluere oculos limpida & frigida aqua, juxta illud:

Surgens, mane, manus, oculos, gelida lavet unda.

Mucus quoque, quamquam nunquam non emungatur ut liber sit transitus inspirationi & olefactui. Ut os expurgetur suis recrementis, quotidiè matutino tempore eluendum est aqua frigida, fricandi dentes aqua & sale, leniterque gargarizando, ita & linguæ & fauces & reliqua oris membra reddentur expedita, ipsumque os liberabitur à fœtore; Denique non negligenda est quoque cura sincipitis & occipitis, ut hæc liberentur à furfuribus vel sordibus. Nihil æquè

prodest

prodeſt cerebro & capitis expurgationi quam ſi hoc mane ſedulò fricetur, vel digitis vel linteo vel pectine. Ita fiet, ut non tantum crines redigantur in ordinem, ſed & removeantur à capite furfures & pori cutis fiant aperti, & vapores intus concluſi queant commodè exhalare cerebrumque fieri liberum & vegetum. 4. Sanguinem & ſemen ponimus etiam inter excrementa, fœminæ quidem ſanguinem ejiciunt, ſingulis menſibus, & niſi id fecerint, ſanę non poſſunt vivere, multi quoque virorum deponunt ſanguinem menſtruatim per hęmorrhoides, alii per nares, alii per alias corporis partes. Si quis oneretur nimia ſanguinis multitudine & plethora, ille curet ſibi venam incidi verno tempore, & elici quinque aut ſeptem uncias ſanguinis, prout plethora fuerit valida. Interim tamen hoc probè notandum ſanguinem eſſe theſaurum naturæ, neque ejiciendum è corpore absque gravi cauſa. In ſeminis quoque ejectione modus eſt adhibendus, cum nihil æquè vires proſternat atque illa. Quia ſemen ſpiritibus quam maximè abundat, & gignitur ex puriſſimo atque optimo ſanguine, hinc in illius nimia ejectione natura patitur inſigne damnum & ſpirituum optimiq; ſanguinis. Unde conſultius Avicenna ajebat eſſe, emittere 50 uncias ſanguinis, quam unam ſemiſſem.

CAP.

ilias κακῶν & quasi sentina malorum, ex quo velut Oceano fluunt rivuli multorum morborum. Nihil frequētius est penes litteratos, quam conqueri de imbecillitate Ventriculi. Hæc ferè nascitur vel ex intemperie vel ex pituitosis humoribus. Intemperies utplurimum frigida, molesta est litteratis, rarò calida. Si quis tamen ventriculum nimis habuerit calidum (quod intelliget ex perpetua & continua siti, ex appetitu prorsus extincto, ex ruptibus acribus) Illi consultissimum fuerit, crebro uti succo limonū cum saccharo permixto, & vel cerevisiæ tenuiori vel aquæ fontanæ infuso. Sed sæpius & magis urget ventriculi frigiditas, quæ hac Methodo erit tollenda & expugnanda. Principiò singulis matutinis horis vel saltem, alternis diebus assumantur quatuor aut quinque guttæ extractæ absinthii, idque vel in vini vel cerevisiæ, vel alii liquoris haustulo vel Cyatho. Paratur autem extractum absinthii hoc modo. Sume tenuiora folia, vel etiam nodulos, aut calices absinthii parum exiccatos, ad manipulum unum, atque illis affunde sex vel octo uncias spiritus vini vel aquæ vitæ, & vitrum bene occlude, relinque ita per dies tres vel quatuor, pulcherrimo perspicies virore tingi Spiritum vini, & ex absinthio extrahere omnem vim, atque eam quasi imbibere. Cum videbis spiritum satis tinctum, effunde illum, relictis fecibus, aut etiam, ut limpidissimus fiat, cola vel trajice illum per chartam bibulam, hoc est ipsum extractum Absinthii, cujus

paucas

paucas guttas ſi inſtillaveris vel vino vel cereviſiæ momento facies vel vinum vel cereviſiam Abſinthites, neque tibi opus erit recurrere ad pharmacopolã. Itaque hoc extractum ſemper ſit in promptu. Si quis malit etiam, poterit in aurora aſſumere fruſtulum gingiberis conditi ad magnitudinem parvæ nucis juglãdis. Hoc enim non tantum calefacit ventriculum, ſed & peculiari ratione ſuccurrit memorię, Veruntamen nimius illius uſus nimium calefacit jecur & ſanguinem. Omnium optimum erit extractum abſinthii, quod non calore ſuò ventriculum refocillat, pravos humores abſumit & corrigit, verumetiam idioſyncraſia & occulta ratione prodeſt ventriculo, corrigit jacentem appetitum, tollit ructus, comprimit nauſeam & vomitum, unde vix eſt pharmacum præſtantius in nauſea marina quam idem ipſum. Denique etiam corpus defendit à maligno & peſtilenti aëre. Ubi perventum eſt ad meridiem, & hæc in aurora fuerunt adhibita, ſaluberrimum fuerit, *poſtquam epulis exempta fames, menſæque remotæ*, habere in promptu ſelectiſſima aliquot grana piperis nigri rotundi, eorum quindecim aut viginti diſſecta per medium immittantur in os & ſuperbibatur hauſtus cereviſię, qui facit ut facile & abſque impedimiento deſcendant in ventriculum. Hæc ſemigrana piperis poſt ſingula prãdia imò & cænas aſſumta mirum quantopere confortant ventriculum, illum modicè calefaciunt, concoctionem inſigniter juvant. Poſtmodum hoc mu-

nere perfuncta, uti assumpta fuerunt, cum fecibus ejiciuntur sed privata omni virtute, pulvis piperis minus prodest, quia rapitur in venas, & jecur nimis calefacit. Sed nec laudem grana integra, quia non possunt virtutem exserere. Optimum fuerit per medium eadem secari. Cęterum fit nonnunquam, quod non frigiditate sola laboret ventriculus, sed pituitosis frigidis humoribus insuper sit oppletus. In hoc casu non innotuit mundo remedium utilius, quam spiritus vitrioli, vel acetosa mineralis. Ejus guttulæ octo vel decem, instillatæ haustulo vini vel cerevisiæ ventriculo mirabiliter prosunt, humores frigidos viscosos consumunt, ventriculum roborant, os ventriculi egregiè claudunt. Solent quoque aliquot guttę inspergi conservę Rosarum & bene permisceri, Unde nascitur tam suavis sapor commixtus ex dulci & acido. Nascitur medicamentum tam amicum ventriculo (quia & rosæ confortant ventriculum) ut vix sit quippiam simile aut secundum. Si nimis magna sit humorum copia in ventriculo, nec velit cedere soli spiritui vitrioli, tum recurrendum est vel ad vomitoria vel ad purgantia. Vomitorium nobile est sal vitrioli. Jam Chimici vocant Gillam, cujus sesqui scrupulus vel dimidia drachma vel triginta grana assumuntur in haustulo cerevisiæ calidæ, & prorsus excitatur vomitus non violentus, vel assumatur sequens pulvis, qui est in numero secretorum. Recipe Flores arboris juglandis, eos exicca in clibano, redige in pulverem, cujus pulvis

pulvis drachma una, liquore alio convenienti hausta blandissimè movet vomitum & ventriculum liberat onere. Inter purgantia præcipuũ locum damus hisce pillulis: Recipe massæ pillularum de Hiera simplici scrupulos duos. Pilularum sine quibus esse nolo scrupulum unum. Cũ Syropo de mentha fiant pilulæ N. 9. Hæ assumantur matutino tempore involutæ saccharo vel pomo tosto vel uvis passis. Atque hactenus de ventriculo,ubi tamen illud addimus loco corollarii, si quis nimium vomet vel purget, ei assumendum esse Cochleam aquæ Cinnamomi, vel Theriacæ ad magnitudinem cerasi, & inde prorsus sedabitur nimius vomitus aut nimia purgatio.

CAP. II.

Quomodo corrigenda sint vitia Iecoris Studiosis familiaria.

AFfectus jecoris, quamquam plures sint, vix tamen sunt familiares studiosis litterarum, quam calida intemperies & obstructio jecoris. Hepatis inprimis habenda est cura. Est enim id promptuarium & fons beneficus sanguinis, qui si laudabilis & purus fuerit, puri quoque erunt & optimi spiritus vitales atque animales. Laudabilis erit omnium partium constitutio,quarum nulla est,quę non nutriatur sanguine. Primum quod dixi litteratis molestum,

eſt nimius jecoris calor qui ſanguinem adurit, proditurque puſtuloſa, ænea, & quaſi flammea facie, ſiti continua. In hac tollenda, dici non poteſt, quantum valeat venæ ſectio, quæ loco omnium primo eſt adhibenda, dehinc matutinis horis perſæpè aſſumendæ radices Cichoreæ, itemque conſerva Roſarum Hiſpanica, loco calidioris potus, ut vini Hiſpanici, Gallici albi, hauriendа aquæ Cichoreæ portulacæ permixtæ vino tenuiore vel cereviſia. Regioni jecoris vel hypochondriæ dextræ illinatur oleum roſarum, oleum Nymphææ cum pauca cæna, vel linteum madefactum in aqua Cichorei aceto roſarum, ſucco portylacæ. Obſtructio jecoris prodit ſeſe facie lurida & cadaveroſa, obtuſo dolore dexteri lateris, appetitu proſtrato. Hic affectus quoque ſæpe ſolet torquere litteratos, naſciturque à cibis craſſis, viſcoſis, pravi ſucci & difficilis coctionis. Hic itidem ſecetur vena, & ſubtrahatur ſanguis ille craſſus obſtruens, tum demum ſumito ad manum hæc nobiliſſima medicamenta, Criſtalli Tartari, Spiritus ſalis, Spiritus tartari, Spiritus ſulphuris, quibus ſumma eſt efficacia tollendi obſtructiones jecoris, ſi paucæ illorum guttę admiſceantur vel hauſtulo vini aut cereviſiæ vel aquæ acrimoniæ, Criſtalli vero Tartari rediguntur in pulverem, & aſſumuntur cum intrito calido. Præſtantiſſimum quoque ſecretum in hoc affectu eſt limatura chalybis ita præparanda. Sume ſcobem acicularum calidarum, quē ablue primum aqua, deinde vino, & libera ab

omnibus

omnibus ſordibus dehinc inde in crucibulo, vel olla, & affunde acetum acerrimum. Impone igni & ſine omne acetum evaporari, quo facto auge ignem, & ineſcat pulvis ille, vel ſcobs, tandem exime & refrigeratum tere ſeu comminue in pulverem tenuiſſimum. Hic pulvis aſſumptus cum ſyrupo violarum vel alio liquore cum admiratione tollit obſtructiones jecoris.

CAP. III.

De Corrigenda Cordis debilitate.

PRæcipui affectus cordis, qui moleſti eſſe ſolent Studioſis litterarum ſunt palpitatio, anxietas cordis, animi imbecillitas & timor absq; cauſa. Hiſce omnibus opponimus rara quædam, experta & nobiliſſima medicamenta. Inter cardiaca facilè familiam ducunt lapis Bezoar, cornu cervi uſtum, & ſal perlarum Oriẽtalium, quæ comminuta in pulverem tenuiſſimum & convenienti quantitate aſſumuntur certo quodam liquore, ut plurimum aqua cardui benedicti, vel aqua Cinnamomi vel Syrupo acetoſitatis Citri ad uncias duas, doſis lapidis beſoatici eſſe duorum, trium vel quatuor granorum. Doſis cornu cervi & margaritarum ſcrupulus dimidius. Aſſumenda verò ſunt, ſi fieri poteſt, mane, & opera danda, ut ſudor erumpat. Horum omnium virtus quam maxima eſt, & admirandis in pellendis à cordis quibusque rebus nocuis, non ta-

men aquis fuliginibus & vaporibus, qui palpitationem & anxietatem inducunt, ſed ab omnibus venenis. Chimici noſtri in hoc caſu ſummis laudibus in cœlum efferunt Extractum croci, quod hilaritudinem & robur cordis adauget, ſupra quam dici poteſt. Maximæ etiam utilitatis fuerit balſamus roris marini, non illitus regioni cordis ſed & intra aſſumptus, itemque balſamus Macis, Balſami poſſunt parari absq; cera, absq; additamentis Seterogeneis, ut etiam tuto aſſumãtur intra corpus. Ex liquidis multum prodeſt jejuno, aſſumere in aurora Rorem ſalis vel aquæ vitæ ad menſuram unius cochlearis. Vel etiam aqua aurea. Ex topicis pro ſecreto experimento uſurpari poteſt Theriaca diſſoluta in vino Rhenano & foris applicata, madefacto linteo ad regionem cordis. Illud enim mirabiliter cordis vires auget & labefactatas reſtituit. Apud Ficinum deſcribitur medicamẽtum quoddam, quod ille vocat donum cæleſte vel aureum, eique tribuit admirandas vires in roborando corde. Paratur ex tribus donis, quę olim Magi obtulerunt Puero Chriſto, eſtque tale; Recipe thuris uncias duas, Myrrham unciam unam, Auri in folia redacti drachmam dimidiam. Conterantur omnia in pulverem minutiſſimum & affuſo vino generoſo fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ, harum una vel altera aſſumitur in aurora cum hauſtu vini.

CAP.

CAP. IV.

De confortando Cerebro & augenda Memoria.

CErebrum eſt arx illa Pallados, in qua omnis ſapiẽtia humana habitat, cujus cura ſollicita non minus habenda eſt viro literato, quam pedes ſuos curare ſolent Curſores, & manus pugiles. Cerebrum inquam eſt ſedes ingenii & memoriæ, quæ ſæpiſſime labefieri ſolet, & ſtudioſis litterarum debilitari. Cauſæ hujus imbecillitatis variæ quidem ſunt in adoleſcentibus tamen vix corrumpitur aut labilis fit memoria, niſi à nimia humiditate & frigore ipſius cerebri. Non eſt hujus loci docere quomodo per artificium locale poſſit excoli & perfici memoria, noſtrũ ſaltem conſilium eſt medicamenta quędam proferre in medium per multam experiẽtiam comprobata. Si quis iccirco memoria infida laborat, cujus cauſa nimius eſt humor & frigus cerebri, is initio utatur zinzibere Chynenſi condito, vel in aurora quotidie, ad magnitudinem ceraſi, vel à cęna quãtitate juglandis. Id enim zinziber inſita quadam facultate memoriam adauget, corrigitque & ventriculi & cerebri intemperiem dictã. Poterit inſuper ſtudioſus iturus cubitum deglutire granum unum vel alterum thuris ſelectiſſimi, vel mane thuris in pulverem redacti drachmam dimidiam aſſumere ex aqua Majoranæ.

Nam & thus excellentiſſimum eſt in hoc affectu. Sed & Majorana mirabili proprietate memoriam juvat, ſi crebrò aſſumatur illius conſerva vel bibatur aqua. Hæ ſequentes pilulæ egregiè augent memoriã. Recipe ſuccini odorati drachmam unam, Cubebarum, Thuris, Myrrhæ electæ, ſingulorum drachmam dimidiam, ligni aloës ſcrupulum dimidium. Hæc omnia redigantur in tenuiſſimum pulverem, ex quo pulvere cum vino generoſo, fiant pillulæ numero quindecim, quarum duæ aſſumantur veſperi, à cœna, & ante decubitum ternis aut quaternis diebus. Atque hæc medicamenta intus aſſumenda. Topica quæ foris adhibentur, talia eſſe poſſunt: Abluatur caput & cervix bis ſingulis menſibus, lixivio, in quo decocta fuerint ſequentia. Rosmarinus, Majorana, Salvia, Betonica, Baccæ lauri. Tum quoque temporibus illinatur & naribus applicetur identidem Balſamus Majoranæ, Rorismarini, Cariophyllorum, Balſami tamen moderatè ſunt adhibendi, ne nimis violenter aut cumulatè cerebrum exiccent & calefaciant. Hoc unguentum quod ſequitur dicitur fuiſſe Ariſtotelis, quo multi memoriam acquiſiverunt excellentem, Recipe Radicum Bugloſſi, Valerianæ Rubræ, utriusque uncias tres, ſeminis fraxini unciam unam cum dimidia, pulpę Anacardinæ drachmam unam. Hæc omnia comminuantur in ſubtiliſſimum pulverem. Deinde recipe ſucci Euphraſiæ ſcarlegæ, verbenæ ſingulorum uncias quatuor, quæ omnia cum pul-

vere

vere præcedente commixta lenter çoquantur, addaturque pinguedinis urſi, quantum lubuerit, & fiat unguentum, quo inungatur frons tempora & cervix.

CAP. PÆNULTIMUM.

De corrigenda viſus & oculorum debilitate.

OCuli ſunt nobiliſſima ſupellex litteratorũ, ſed tenerrimæ admodum indolis, utpote qui vel à minutiſſimo pulviſculo lædi poſſunt, eorum vires & facultatem opticam, ut integram illæſamque ſervet, quam maximè decet ſtudioſum. Non dicam hic de omnibus affectibus qui oculos affligere ſolent (Medici enim ultra trecẽtos numerant in exiguo hoc membro) ſed de ſola caligine & viſus debilitate, in quam incidunt litterati cõtinuis lectionibus & lucubrationibus. Priusquam veniam ad medicamenta, prę monẽdi ſunt ſtudioſi, ut cane pejus & angue fugiant fumum, nimium ſolis & ignis ſplẽdorem, vel rerum quarumque candidarum pertinacem intuitum. Caveant Venerem nimiam & intempeſtivam, qua abſumitur maxima ſpirituum copia, unde omnes libidinoſi fermè cœcutiunt, abſtineant ab eſu cæparum, à continuis & irruptis lucubrationibus, inprimis quæ proximè conſequuntur epulas. Non ſint nimis prono aut proclivi capite, ita facile enim decumbit in oculos humor viſum obſtruens. Caligo oculorum oritur

tur vel à Spirituum inopia vel ab humorum pituitoſorum copia. Spiritus quo pacto debeant refocillari, dictum eſt libro præcedente bona ſcilicet diæta & alimentis optimis. Humores ſæpius ſolent moleſti eſſe, abs quibus nervi optici aliæque oculorum partes obſtruuntur. In hoc caſu primò omnium ſecetur vena vel cephalica, in brachio vel vena frontis. Poſſunt quoque cervici applicari cucurbitulę allicientes humorem ab internis ad exteriora, vel ſolę vel cum ſcarificatione. Summa urgente, neceſſitate refugiendum ad ſetaceum & cauterium, ſed maximo cũ judicio. Phlebotomiã ſequitur purgatio humorũ ex capite, cui rei inſigniter proſunt hę pillulę. Recipe pillularũ lucis, aurearum, cochiarum ſingularum ſcrupulum unum, Agarici trochiſcati, drachmam dimidiam, cum Syrupo de Euphragia fiãt pilulę N. 9. aſſumẽdę ſex horis ante prandium. Maximi quoque uſus fuerit ſternutatorium paratum ex pipere & ſiropi pulveriſatis, ſi in nares attrahatur. Dehinc inſtillandus eſt liquor ipſis oculis, qui ingenita virtute viſum corroborat. Hoc collyrium vel aqua opthalmica poteſt eſſe inſtar olei. Recipę aquę Euphragię, Celidonii, Fœniculi, Ciami, Roſarum, Florum Endivię, ſingularum unciam dimidiam, Camphorę ſcrupulum dimidium, Tutię ſcrupulum unum, fiat collyrium. Hoc quod ſequitur in ſecretis multi habent, utpote admirandarum virium, Recipe, Aquæ fœniculi & Euphraſiæ ſingularum unciam unam, croci metallorum ſcrupulum dimidium,

bulliant

bulliant per quadrantem horæ, poſt colentur per linteum, & liquor hic inſtilletur oculis mane & veſperi, is non tantum tollit viſus debilitatem, aufertque oculorum Inflammationem, ſi aliqua adeſt, verum etiam quod mirum ventrem laxat, & corpus caputque purgat ab humoribus ſuperfluis, blandasque ſedes excitat.

CAP. VI. & Ultimum.

De corrigendis cutis vitiis, qualis eſt ſcabies.

TEtra illa bilis, quam ſcabiem vocitant nimis quam moleſta eſſe ſolet Studioſis litterarum. Primam originem ducit à pravo victu, & inſalubri cibo & potu, ſæpe etiam impuro aëre. Hinc neceſſum eſt ſanguinem corrumpi putridũ, impurum & inquinatum generari qui poſtmodum delatus in univerſum corpus totum illius habitum corrumpit, & ad cutim protruſus odioſas illas generat efflureſcentias & pruriginoſam ſcabiem. Hinc nulla eſt ſcabies, quę non naſcatur ex corruptis humoribus Melancholicis, bilioſis, ſalſis, pituitoſis, ceroſis, quos omnes jã ante diximus, reperiri in maſſa ſanguinis. Hæc labes non curanda eſt ſuperficietenus, ita enim certiſſimo recurrit, ſimilis enim eſt mendicis impudentibus, qui fores ſæpiusculè pulſant. Ex ipſa radice extirpandum eſt hoc malum, fomesq; & primus fons tollendus. Quod ipſum fiet ſequenti ratione. Ante omnia impurus ſanguis, prima materia

mali

mali ſubtrahatur corpori per ſectionẽ venæ brachialis, ſeu hepaticè, ſeu lienoſè ſeu baſilicè. Dehinc ſalubri diæta reſtituatur ſanguis laudabilis in locum deperditi, tũ poſtea ſanguis corruptus ſubcutaneus eliciatur per cucurbitulas & ſcarificationes applicãdas humeris, brachiis, manibus, clunibus, cruribus, ſed quam utiliſſimum quoq; fuerit balneum ingredi aſſumpta prius drachma una theriacæ in cereviſia calida, ut proluvies tetrorum humorum latitans in intimo corpore evocetur foras per ſudorem & per habitum tranſpiret. Quo facto uno vel altero die interpoſito liberari debet corpus, & venæ exiliores & inter alia ſaburra humorum ſcabiei materiam ſubminiſtrantiũ, in hunc uſum eſt ſequens hauſtus mane aſſumendus, qui blandè & commodè purgat ceroſos & Melancholicos. Recipe Electuarii roſati lenitivi drachmã unam, Diacatholici drachmas tres, confectionis Hamech unciam dimidiam, Syrupi de fumaria diluculo de Cichoreo unciam unam cum aqua fumaria, quantum ſufficit, fiat hauſtus calidè aſſumendus. Poſtremum in hæc morbo locum obtinent Topica ex omnibus unguentis, hoc quod ſequitur eſt præſtantiſſimum, cujus uſus quotidiana experientia & tutus & proſper invẽtus eſt, Recipe olei laurini unciam unam, ſulphuris in pulverem comminuti drachmas tres, Mercurii vivi in ſalivi extincti drachmas duas, quæ probè commiſceantur & temperentur, fiatque unguentum, quo inungendæ partes ſcabioſæ mane & veſperi.

INDEX


INDEX
Opusculi hujus Physiologi & Medici.
LIBRI I.

16. De

LIBRI SECUNDI.

LIBRI TERTII.

FINIS.



cc